Commentationes biblicae

III

De antiquis Arabiae incolis eorumque cum religione Mosaica rationibus

Scripsit

Franciscus Xav. Kortleitner

Ord. Praem.



1930

Oeniponte. Typis et sumptibus Feliciani Rauch.

Nr. 4049

Imprimatur

Administratura Apostolica

Oeniponte, die 4. Septembris 1929

L. S.

Urb. Draxl
Prov.

Imprimatur

Wiltinae, die 28. Augusti 1929

L. S.

Henricus Schuler
Abbas Ord. Praem.

L. S.

Quo plures res effossionibus de terris orientis antiqui cognoscimus, eo magis iam antiquissimis temporibus inter gentes maximum commercium intercessisse intellegimus idque non solum de mercibus, sed etiam de opinionibus permutandis. Si igitur Arabia, id quod multi viri docti recentioris aetatis iudicant, patria gentium Semiticarum, quarum Israelitae quoque sunt, existimanda est, omnino exspectari oportet, quidquid de cultu atque humanitate incolarum Arabiae antiquae reperiri potest, idem aptum esse, unde de gente Israelitica complura cognoscamus. Adhuc pauci quidem viri eruditi in Arabia antiqua exquirenda versati sunt, omnes autem consentiunt scientiam religionis et cultus profani Arabum antiquorum ad sacras veteris testamenti litteras explanandas maximi esse momenti. Nam quoniam in ea parte terrae Canaan, quae in meridiem spectat, et apud omnes gentes, quae inter mare mortuum et sinum Aelaniticum habitabant, auctoritas Minaeorum et postea Sabaeorum per saecula multum valuit, quidquid de religione, moribus, consuetudinibus Arabum antiquorum cognovimus, ad Israelitarum quoque de religione et communi vita instituta intellegenda et iudicanda spectare manifestum est. Imprimis ex quo tempore inscriptionibus in Arabia inventis coloniam Minaeorum Ma'ân Muṣrân fuisse demonstratum est, multos locos cum aliorum litterarum monumentorum tum veteris testamenti recte intellegimus, quoniam exploratum habemus incolas Arabiae septentrionalis iam antiquitus cum Cananaeis et Israelitis magnum habuisse commercium. Valde autem dolendum est, quod multae illae inscriptiones in Arabia meridiana inventae adhuc parum investigatae sunt, ut nos paucis, quae viri docti, qui in illo studio versantur, in lucem protulerunt, contentos esse oporteat. Quare etiam de religione et cultu profano antiquorum Arabum multa adhuc incerta sunt. Si autem inscriptiones et monumenta Arabiae meridianae,

quae iam in Europa sunt, a viris doctis exquisita erunt, fundamenta novae disciplinae iacta erunt, quae ad cultum atque humanitatem gentium orientis antiqui cognoscendam maximi sit momenti. Neque dubium est, quin monumenta Arabica ad vetus testamentum subtilius intellegendum eodem momento futura sint, quo nunc monumenta Aegyptiorum et Babyloniorum-Assyriorum.

Quae de Arabia antiqua eiusque incolis adhuc cognovimus, quatenus ad textum biblicum explanandum conferre videntur, exponere atque quid Arabes antiqui in religione Mosaica valuerint, quatenus hodie fieri potest, ostendere huic libello propositum est.

Scripsi Oeniponte calendis Octobribus 1929.

F. X. K.

Conspectus rerum

Pars prior

Quae de Arabia antiqua cognovimus

I. E quibus fontibus notitia de Arabia antiqua eiusque incolis haurienda sit 1—5
II. De nominibus Arabiae et Arabum in sacris litteris et apud profanos scriptores usitatis 5—13
III. De divisione Arabiae antiquae eiusque natura 14—18
IV. De origine gentium Arabiae antiquae 19—24
V. De investigatione Arabiae antiquae 24—28
VI. De inscriptionibus antiquorum Arabum 28—38
VII. De regnis in Arabia meridiana conditis 38—72
De regno Minaeorum 40—51. Sabaeorum 51—64. De quaestione Minaea, quae vocatur 64—68. De regno Katabanorum et Ḥadhramotitarum 68—72

Pars posterior

De antiquorum Arabum cum religione Mosaica rationibus

Praenotanda 73—78
I. Legesne religionis Mosaicae initio dialecto quadam Arabica revelatae atque conscriptae sint 78—80
II. Opiniones religionis Mosaicae cohaereantne cum religione antiquorum Arabum 80—93
III. Mosesne in sacerdotibus instituendis antiquius sacerdotium idque Minaeum imitatus sit 94—98
IV. Cultus divinus ab antiquis Arabibus exercitatus pertineatne ad instituta religionis Mosaicae 98—106
Index locorum ex sacris litteris allatorum 107—108
Index nominum et rerum 109—113
Addenda 114—115

Compendia scripturae

AJ = Josephi Flavii Antiquitates Judaicae
AiÜ = *F. Hommel,* Die altisraelitische Überlieferung in inschriftlicher Beleuchtung. München 1897
AO = Der alte Orient
AoF = *H. Winckler,* Altorientalische Forschungen. Leipzig 1893 ss.
BZ = Biblische Zeitschrift
BZAW = Beihefte zur Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft
BZF = Biblische Zeitfragen
EGAO = *F. Hommel,* Ethnographie und Geographie des alten Orients. München 1926
JA = Journal Asiatique
KAT = *E. Schrader,* Die Keilinschriften und das AT.[3] Bearbeitet von *H. Zimmern* und *H. Winckler.* Berlin 1903
KB = Keilinschriftliche Bibliothek
MVAG = Mitteilungen der Vorderasiatischen Gesellschaft
OLZ = Orientalistische Literaturzeitung
RB = Revue biblique
REclAW = *Pauly's* Real-Enzyklopädie der klassischen Altertumswissenschaft.[2] Stuttgart 1894 ss.
Skizze I, II = *E. Glaser,* Skizze der Geschichte und Geographie Arabiens von den ältesten Zeiten bis zum Propheten Muhammad. I, München 1889. II, Berlin 1890
ZA = Zeitschrift für Assyriologie nnd verwandte Gebiete
ZAW = Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft
ZDMG = Zeitschrift der deutschen morgenländischen Gesellschaft
ZkTh = Zeitschrift für katholische Theologie

Pars prior

Quae de Arabia antiqua cognovimus

I

E quibus fontibus notitia de Arabia antiqua eiusque incolis haurienda sit

1. Praeter inscriptiones regum Narâm-Sin et Gudea, quae tertii a. Ch. n. millennii sunt atque iam tum incolas Arabiae meridianae atque inter septentriones et occidentem vergentis cum Babyloniis multo artius cohaesisse, quam antea existimatum est, testantur, antiquissimam de Arabia eiusque incolis notitiam usque ad tempus, quo paeninsula Arabica investigari coepta est, veteri testamento debuimus. Secundum id Arabes desertum incolebant et in regiones a septentrionibus finitimas praedandi causâ incursiones faciebant. Imprimis Sabaei mercatores, qui in oras maris mediterranei varias merces importabant et propter divitias clari erant, fuisse dicuntur; eorum terram omnes odores nobiles ferre.

Ad historiam Arabiae antiquae cognoscendam inscriptiones regum Assyriorum octavi et septimi a. Ch. n. saeculi magni sunt momenti. E quibus tum in Arabia septentrionali parva regna fuisse cognoscimus, quae Assyriis tributa pendebant. Respiciendum autem est historiam quoque Arabiae meridianae cum Arabia septentrionali arte cohaesisse.

Scriptores Graeci et Romani, qui quondam praeter vetus testamentum gravissimi auctores historiae orientis antiqui erant, in antiquissima Arabum historia nullius fere momenti sunt. Idem cadit in scriptores Arabicos, quorum de rebus gestis narrationes omnes fere narrationes commenticiae sunt aut ex inscriptionibus pravissime intellectis manaverunt. Ad hoc Muhammedani omnem operam dederunt, ne multae eorum narrationes ad memoriam nostram pervenirent. Quamquam in iis, quae in inscriptionibus ad geographiam pertinent, magni sunt momenti.

Quae cum ita sint, quae vetus testamentum, textus cuneiformes, scriptores Graecorum, Romanorum, Arabum memoriae nostrae tradide-

runt, illa quidem ad historiam antiquissimam Arabiae cognoscendam non sufficiunt, sed si cum litterarum monumentis recentiore aetate in Arabia inventis coniunguntur, tamen haud spernenda sunt. Atque si quando effossiones in Arabia factae erunt, haud dubie de gentibus non solum Arabiae meridianae, sed etiam totius Asiae anterioris multa nova cognoscentur.

Quantum Arabia ad historiam orientis antiqui pertineat, cognoscas e H. Winckler, Arabisch-Semitisch-Orientalisch. Kulturgeschichtlich-mythologische Untersuchung (MVAG, VI, 4—5) Berlin 1901.

2. Quae de geographia Arabiae antiquae cognovimus, maximam partem scriptoribus Graecis et Romanis debemus. Atque antiquissimus scriptor omnium, qui de Arabia agunt, *Herodotus Halicarnasseus* (circiter 500—424 a. Ch. n.) est. Videas imprimis eius Hist. 3, 107—113. Ceterum Herodotus de situ et forma Arabiae prorsus falso iudicat. Nesciebat Arabiam paeninsulam esse. Memoratu digna ea quoque sunt, quae *Theophrastus,* discipulus et amicus Aristotelis, posteriore parte quarti a. Ch. n. saeculi in „Historia plantarum" de Arabia scripsit. Imprimis memorandus est *Eratosthenes,* qui anno a. Ch. n. 275 in urbe Cyrene (capite Cyrenaicae) natus et a Ptolemaeo III Euergete Alexandriam accersitus multos annos ibi bibliothecae praefuit et anno 194 mortuus est. Eius Γεωγραφικά (tres libri) perierunt. Apud Strabonem autem scripta legimus, quae de Arabia memoriae tradidit.[1] Ab *Agatharchide* (secundo a. Ch. n. saeculo) descriptionem orae sinus Arabici inter septentriones et occidentem spectantis accepimus, ubi de Sabaeis et Gerrhaeis eorumque negotiationibus diligenter agit (cf. Diod. Sic. Bibl. hist. 2, 48—54; 3, 42—47; 5, 41—46. al.)[2]. *Artemidorus,* qui primo a. Ch. n. saeculo fuit, opus, quo et terram Sabaeorum et eorum opes atque mercaturam condimentorum et odorum describit, composuit. Quod opus Γεωγραφικά inscriptum fuisse verisimile est. In eo multa ex Agatharchide hausta sunt. *Strabo* quoque (circiter 60 a. Ch. n.—20 p. Ch. n.) sub finem vitae Γεωγραφικά (septemdecim libros) scripsit. Lib. 16. cap. 4. diligenter de Arabia tractat et antiquiorum scriptorum locos magni momenti memoriae prodit. Posterioris aetatis sunt: *Caius Plinius Secundus* (23—79 p. Ch. n.), qui triginta septem libros „Historiae naturalis" scripsit. In geographia Arabiae illustranda potissimum Juba II. rege Mauretaniae et genero M. Antonii triumviri, auctore utitur, quo neminem Arabiam subtilius cognoscere putant. Eius opus de Arabia („Volumina quae scripsit ad C. Caesarem Augusti filium de Arabia"

Plin. 32, 1, 10 vel „De expeditione Arabica“ ib 6, 27, 141) anno a. Ch. n. secundo vel primo, fortasse paulo ante confectum est. Praeter Jubam Plinio imprimis „negotiatores nostri“ materiam rerum suppeditarunt. *Periplus maris Erythraei* (περίπλους τῆς θαλάσσης ἐρυθρᾶς), qui inter annos p. Ch. n. 56 et 67 ortus est. Eius auctor (mercator quidam Aegyptius, ut videtur) et portus orae meridianae Arabiae et res ibi nascentes diligenter descripsit.[3] *Claudius Ptolemaeus*, qui regnantibus Antonino Pio (138—161 p. Ch. n.) et Marco Aurelio (161—180 p. Ch. n.) fuit atque Γεωγραφικὴν ὑφήγησιν confecit, in qua 5, 17 de Arabia petraea, 5, 19 de Arabia deserta, 6, 7 de Arabia felice agit.[4] In operibus *Josephi Flavii* (qui anno p. Ch. n. 37/38 natus est), *Plutarchi* (50—120 p. Ch. n.), *Arriani* (qui exeunte primo p. Ch. n. saeculo natus est) pauca de geographia Arabiae memoriae produntur. Lexicon geographicum *Stephani Byzantini* saeculo quinto confectum, quod Ἐθνικά inscriptum est, multas reliquias librorum scriptorum veterum, qui perierunt, continet. In eo numero *Uranius* quoque quidam est, qui opus minimum quinque librorum, quod Ἀραβικά inscriptum est, composuit.[5] Talmudistae Arabiam melius cognoverunt. Atque *Rabbi Akiba ben Joseph* (secundo p. Ch. n. saeculo) in Arabia itinera fecisse et multa de Arabum moribus narrasse plane dicitur.[6]

[1] H. Berger, Die geographischen Fragmente des Eratosthenes. Leipzig 1880.

[2] H. Leopoldi, De Agatharchide Cnidio (Diss.) Rostochii 1892.

[3] B. Fabricius, Der Periplus des Erythräischen Meeres von einem Unbekannten. Griechisch und Deutsch. Leipzig 1883. E. Glaser, Abfassungszeit und Autor des Periplus maris Erythraei (in „Ausland“ 1891, nr. 3, p. 45 s.), qui demonstrare conatus est vel Basilem, cuius Plinius in libro primo inter auctores libri sexti, vel Poseidonium, cuius inter auctores libri quinti mentionem facit, illum Periplum conscripsisse. H. Frisk, Le Périple de la mer Érythrée. Suivi d'une étude sur la tradition et la langue. Göteborg 1927.

[4] Ad quod opus A. Sprenger commentarium scripsit: Die alte Geographie Arabiens als Grundlage der Entwicklungsgeschichte des Semitismus (cum tabula geographica) Bern 1875.

[5] Quae scriptores Graeci et Latini de Arabia memoriae prodiderunt, ea D. H. Müller in *Paulys* REclAW,[2] 1. Reihe, 3. Halbband (Stuttgart 1895) 344—359 et J. Tkač ib. 2. Reihe, 2. Halbband (1920) 1299—1414 collegerunt. Videas etiam F. Hommel, EGAO 516—522.

[6] Quae in Talmude de Arabia eiusque incolis memoriae traduntur, ea S. Krauss collegit: Talmudische Nachrichten über Arabien (ZDMG, LXX, 1916, 321—353).

Praeterea geographi Arabici respiciendi sunt, imprimis Abu Muḥammad al-Ḥasan ibn Aḥmad ibn Jaʿḳûb *al-Hamdânî* († 334 Hidschra

= 945 aerae Christianae)[1], Abu ʿObejd ʿAbdallâh ibn ʿAbdalʿazîz *al-Bekri* († 487 H. = 1094)[2], Abu ʿAbdallâh Muḥammad ibn Muḥammad ibn ʿAbdallâh ibn Idrîs aš-Šarîf = *al-Idrîsî* (qui circa annum 548 H. = 1153 scripsit)[3], *Jâḳût* ibn ʿAbdallâh ar-Rûmi († 626 H. = 1229)[4], *Abu-l-Fedâ'* Ismâʿîl ibn ʿAli ibn Mahmûd ibn Omar ibn Šâhanšâh ibn Ajjûb ʿImâddîn al-Ajjûbi († 732 H. = 1331).[5] In operibus geographicis scriptorum *al-Iṣṭaḫri, Ibn Ḥawḳal, al-Muḳaddasi, Ibn Ḫordâdbeh*, aliorum Arabia breviter tractatur.[6]

[1] *Ṣifat dschezîrat al-ʿArab.* Edidit D. H. Müller: Geographie der Arabischen Halbinsel. Nach den Handschriften herausgegeben. 2 vol. Leiden 1884—91.

[2] *Muʿdscham mâ istaʿgama.* Edidit F. Wüstenfeld: Das geographische Wörterbuch des . . . el-Bekri. 2 vol. Göttingen-Paris 1876—77.

[3] *Kitâb nuzhat al muštâḳ fi-'ḫtirâḳ al-âfâḳ.* Edidit P. A. Jaubert: Géographie d'Edrisi, traduite de l'arabe en français (Recueil de voyages et de mémoires publié par la société de géographie, vol. 5 et 6) Paris 1836—40.

[4] *Kitâb muʿdschâm al-buldân.* Edidit F. Wüstenfeld: Jacut's geographisches Wörterbuch aus den Handschriften zu Berlin, St. Petersburg und Paris herausgegeben. 6 vol. Leipzig 1866—73. Conferas etiam T. G. J. Juynboll, Marâṣid al-iṭṭilâʿi, Lexicon geographicum, I—VI, Lugduni Batavorum 1850—64.

[5] *Taḳwîm al-buldân.* Editiones: C. Rommel, Abulfeda. Arabiae descriptio commentario perpetuo illustrata. Gottingae 1802. Géographie d'Aboulféda. Texte arabe par J. T. Reinaud et W. Mac Guckin de Slane. Paris 1840. Géographie d'Ismaïl Abou'l-Fédâ en arabe publiée par Ch. Schier. Éd. autogr. Dresde 1846. Géographie d'Aboulféda de l'arabe en français par J. T. Reinaud I (Introduction générale à la géographie des orientaux). II, 1. Paris 1848; II, 2 par St. Guyard, ib. 1883.

[6] Eorum opera M. J. de Goeje in „Bibliotheca geographorum arabicorum" (8 vol. Lugduni Batavorum 1870—74) edidit. Nonnulla opera in linguas quoque Europaeas translata sunt. Praeterea videas Guido Cora „La bibliotheca geographorum arabicorum" in Cosmos, ser. 2, vol. 12, fasc. 2 (Torino 1894—95). H. v. Mžik, Bibliothek arabischer Historiker und Geographen. Leipzig 1926 ss.

Tabulae geographicae. — Pro optima tabula geographica a multis habetur ea, quam H. Kiepert delineavit: Karte von Arabien zu C. Ritters Erdkunde, Buch III, West-Asien, Teil 12 und 13: Vergleichende Erdkunde von Arabien. Neue berichtigte Ausgabe, die Orthographie revidiert von Th. Nöldeke (Berlin 1867). Accuratâ orthographiâ nominum tabula geographica Arabiae septentrionalis et mediae (cum Mekka et ʿOmân) a R. Kiepert delineata excellit, quam in opere *M. de Oppenheim*, Vom Mittelmeer zum Persischen Golf (2 vol. Berlin 1899—90) invenias. Magni aestimantur duae quoque tabulae a J. G. Bartholomew depictae („Land surface features of Arabia" et „Orographical features of Arabia"), quas in libro „The penetration of Arabia" a D. G. Hogarth edito (London 1904, II. ed. 1905) reperias. Praeterea nominamus: Westasien, bearbeitet von H. Fischer in E. Debes, Neuer Handatlas, nr. 40. Leipzig 1894; Arabien, bearbeitet von H. Habenicht in *Stielers* Handatlas 9. ed. nr. 60. Gotha 1905; Map of Arabia and the Persian gulf, compiled by F. F.

Hunter, Calcutta 1908; A handbook of Arabia, compiled by the geographical section of the naval staff. Vol. I, 1 (general) London 1920, 708 pp. 8 pl. 4 maps. A. Musil, Karte von Arabia Petraea nach eigenen Aufnahmen. Wien 1907. The northern Ḥedschâz, according to the original investigations (Published by the American geographical society of New York 1926). Map of northern Arabia, according to the original investigations (ib. 1928).

II

De nominibus Arabiae et Arabum in sacris litteris et apud profanos scriptores usitatis

1. Paeninsula Arabica (Theophrastus, Hist. plant. 9, 4, 2: ἡ τῶν Ἀράβων χερρόνησος), quae ab indigenis *Dschezîret el-ʿArab* (= insula Arabiae), a Turcis et Persis *ʿArabistân* appellatur, inter 12° 40′ et 34° latitudinis septentrionalis atque 32° et 58° 42′ longitudinis orientalis sita, unâ cum paeninsula Sinaitica et deserto Syriae spatium 3 000 000 qkm occupat, quod quartae fere parti Europae respondet. Longitudo paeninsulae Arabicae a Baḥr ʿAḳaba (100 km a mari mortuo meridiem versus) usque ad Bâb el-Mandeb 2100 km fere, latitudo a Râs Muḥammed (angulo meridiano paeninsulae Sinaiticae) usque ad Basra (prope terminum septentrionalem sinus Persici) 1300 km, meridianâ autem regione a Bâb el-Mandeb usque ad Maskat 2000 km fere est. Antiqui longitudinem paeninsulae Arabicae 1200, latitudinem (ab oriente ad occidentem) 5600 stadiis definiebant.

Nomine Arabiae in sacris litteris veteris testamenti non magna illa paeninsula, quae hodie id nomen gerit, sed tantum septentrionalis eius pars, quae a Palaestina orientem et meridiem versus usque ad mare rubrum sive sinum Arabicum (κόλπον Ἀραβικόν sive Ἀράβιον) porrigitur, significatur. Ex eo igitur, quod verbi causâ 1 Rg 10, 15 = 2 Chr 9, 14 memoriae proditur „omnes reges Arabiae“ Salomoni aurum obtulisse, colligendum non est Salomoni cum regibus quoque Arabiae meridianae rationes intercessisse. Eius enim aetate nomine Arabiae nondum paeninsula Arabica huius temporis appellabatur. Quamquam loco allato vel reges terrae Aribi, qui ibi deinceps imperium obtinuerunt, vel principes Beduinorum Arabiae septentrionalis intellegi possunt.

Antiquiores scriptores veteris testamenti, si de Arabibus agunt, aut singulas tribus Arabum nominant (Jer 25, 23) aut communibus

nominibus „Ismaelitarum“ (*jisma'elîm,* Ἰσμαηλῖται Gn 37, 25. 28; 39, 1; Jdc 8, 24)[1] et „filiorum orientis“ (*benê ḳedem,* υἱοὶ ἀνατολῶν Jdc 6, 3. 33; 7, 12; 8, 10; 1 Rg 5, 10; Jes 11, 14; Jer 49, 28; Ez 25, 4. 10; Job 1, 3)[2] utuntur. Similiter terram Arabicam *'ereṣ ḳedem* (Gn 25, 6), *'ereṣ benê ḳedem* (Gn 29, 1) et montes Arabiae *har haḳ-ḳedem* (Gn 10, 30) appellant. Nomen „filiorum orientis“ imprimis ad eas tribus Arabicas, quae in regionibus a Palaestina orientem versus sitis habitabant, referendum est. Cum quo nomine nomen quoque media aetate ad Arabes appellandos usitatum „Saracenorum“ (= *šarkijjûna* i. e. qui ad orientem versus habitant) componendum est, quod tamen initio nomen certae cuiusdam gentis Arabicae fuisse videtur (cf. Ptolem. 6, 7, 21).[3] Rabbini omnes Arabes nomine *Ḳêdâr* appellant et verbis *lešân Ḳêdâr* linguam Arabicam significant. Ceterum in Talmude atque in litterarum monumentis posterioris aetatis nomine quoque טייעא, quo proprie certa quaedam tribus Arabica significatur, omnes Arabes appellantur. Quod nomen a *Tai* manavit, nomine gentis, quae etiam aetate Muhammedanorum erat, quo nomine Syri quoque Arabes *Taijaje* vocant. Apud Plinium *Taveni,* apud Ptolemaeum Ταηνοι appellantur. Scriptores Byzantini tertii p. Ch. n. saeculi Σαρακήνους et Ταηνους maximas gentes Arabiae esse dicunt.

[1] In Talmude quoque (Schabbath 11 a Sukka 52 b) Arabes nomine Ismaelitarum significantur. Item Onkelos, Pseudo-Jonathan, Peschitta, Arabs Erpenii, Sa'adja Gaôn Gn ll. cc. pro nomine Arabum nomen Ismaelitarum posuerunt.

[2] In Vulgata verba *benê-ḳedem* modo „orientales“ 3 Rg 4, 30 (1 Rg 5, 10): Job 1, 3., modo „nationes orientales“ Jdc 6, 3 vel „populi orientales“ Jdc 6, 33; 7, 12; 8, 10., modo „filii orientis“ Jes 11, 14; Jer 49, 28 vel „filii orientales“ Ez 25, 4 reddunturur.

[3] Apud rabbinos סרקא. Ammian. Marc. Rer. gest. 23, 6, 13: „Scenitas Arabes, quos Saracenos posteritas appellavit.“ Nonnulli nomen Saracenorum vix recte cum latronibus aequant, quod Arabes more nomadum viventes homines, qui in eorum terra iter faciunt, spoliare soleant. Quod autem A. Sprenger (Die alte Geographie Arabiens 201) nomen Σαρακηνῶν socios sc. Romanorum (Arab. *šurakâ*) valere putat, id verisimile non est, propterea quod, si ita esset, forma Σαραχηνοί (cf. Suraik = Σοραιχος) exspectaretur (F. Hommel, EGAO 599).

2. In sacris litteris vocabula Hebraica *'arab* Jes 21, 13; Jer 25, 24; Ez 27, 21 (*'arâb* 2 Chr 9, 14) et *'arûbî* Jes 13, 20; Jer 3, 2. *'arbî* Neh 2, 19; 6, 1. plur. *'arbîm* Neh 4, 1; 2 Chr 21, 16; 22, 1; 26, 7. *'arbî'îm* 2 Chr 17, 11 (LXX ὁ Ἀραβι, Ἀραβες; in textu Luciani Neh 2, 19; 6, 1 ὁ Ἀραψ) posteriore demum tempore modo sensu latius, modo

angustius patente inveniuntur. Locis quoque 1 Rg 10, 15; Jer 25, 20. 24; 50, 37; Ez 30, 5 nomen *'arab* legendum esse videtur pro *'êreb* (= homines peregrini, alienigenae), quod a LXX interpretibus vocabulo ἐπίμικτος vel (apud Jeremiam) σύμμικτος, in Vulgata varie redditur. 2 Chr 17,11 Arabes unâ cum Philistaeis stipendiarii regis Josaphat (870—849) esse dicuntur. 2 Chr 21, 16—17 memoriae proditur aetate Jehoram, regis Juda (849—842), Philistaeos atque Arabes, qui Kuschitis confines sunt, in terram Juda invasisse et domum regis diripuisse.[1] Item 2 Chr 26, 7 Arabes, qui in Gûr-Ba'al habitabant[2], unâ cum Philistaeis commemorantur atque rex Azarja (789—738) ex iis victoriam reportavisse dicitur. Jer 3, 2 et 9, 25 (Vulg. 26) Arabes habitantes in deserto appellantur. Quod Jer 25, 24 de *malkê 'arâb* agitur, postquam v. 23 nomina Dedan, Thema, Buz commemorata sunt, inde apparet, *'arab* hîc nomen proprium intellegendum esse. Idem ex Ez 27, 21 efficitur, ubi in indice earum gentium, quae cum Tyriis mercaturam faciunt, praeter principes Kedar (i. e. illius tribus Arabicae, quae ab Ismael originem ducit, Gn 25, 13 = 1 Chr 1, 29) „Arabes" nominantur.

[1] Loco 2 Chr 21, 16 *'arbîm* nequaquam incolae Arabiae meridianae intellegendi sunt. Nam licet in textibus Hebraico, Syrio, Latino „confines Kuschitis" esse dicantur, tamen ea verba optime explicantur, ut incolae regionis inter Philistaeos et Kuschitas sitae i. e. Arabiae mediae et occidentalis intellegantur. Ceterum conversione Graecâ loco allato melior lectio servari videtur: τοὺς Ἄραβας καὶ τοὺς ὁμόρους τῶν Αἰθιόπων.

[2] Sedes Arabum nomine Gûr-Ba'al (= hospitium Ba'al) haud dubie inter Palaestinam et paeninsulam Arabicam quaerenda est. LXX interpretes textum Hebraicum verterunt verbis: ἐπὶ τοὺς Ἄραβας τοὺς κατοικούντας ἐπὶ τῆς πέτρας. Inde colligas eos interpretes *'al-ṣûr* legisse. Ex *ṣûr* autem *gûr* manavit, cui *ba'al* adiunctum est, aut ex *'al-ṣûr* transmutatione *ṣûr-'al*, deinde *ṣûr-ba'al* factum est. Targum pro Gûr legit *Gerar*. Item N. Schlögl (Die Bücher der Chronik 188. Wien 1911) interpretatur Arabes in Gerar (Wâdi Dscherûr vel Dscherâr), cum גרר pro גור et ועל pro בעל legendum esse existimat. Conferas etiam KAT 143.

E quibus locis cognoscimus scriptores veteris testamenti de Arabibus agentes eos nomades, qui Arabiam desertam et Arabiam petraeam habitabant, ante oculos habuisse. Quod nomine *'arab* ipso indicatur, quoniam cum Hebraico *'arâbâ* (= regio arida, sterilis, desertum Jes 33, 9; 35, 1. 6; 40, 3; 41, 19; 51, 3; Jer 2, 6; 17, 6. al.) cohaeret neque quidquam aliud nisi incolam deserti valet (Jes 13, 20; 21, 13 [ubi pro altero *'arab* cum LXX et Vulgata *'ereb* legendum est]; Jer 25, 24; Ez 27, 21; 2 Chr 9, 14).[1] Arabes quoque, qui pro mercede in exercitu Syrio militabant (1 Mcc 5, 39; 2 Mcc 12, 10),[2] tribuum in Arabia

septentrionali habitantium fuisse manifestum est. Item „gens Aretae regis“ (2 Cor 11, 32)[3] hîc quaerenda est. Nomen autem tribus Arabicae Ζαβεδαίων (1 Mcc 12, 31) in Dschebel ez-Zebedânî in Antilibano sito conservatum esse videtur.[4] Quod Paulus apostolus Gal 1, 17 se in Arabiam profectum, tum rursus Damascum redisse dicit, haud dubie septentrionalis pars Arabiae, quae regionem Damascenam attingit, intellegenda est. Neque latius patent *ʿarbijja* apud rabbinos, *ʿarbâja* in inscriptionibus regum Persarum, *(mât) A-ri-bu (A-ru-bu, A-ra-bi)* in textibus cuneiformibus Assyriorum. Atque antiquissima mentio *mât A-ri-bu* in monolitho regis Salmanassar III (858—824) invenitur. ubi Gindibuʾ (cf. nomen Arabicum Dschundub), principem Arabicum *(Ar-ba-a-a),* unâ cum Bir-ʾidri, rege Damasci, Assyriis bellum intulisse dicitur (anno 854, cf. KB, I, 172: *Gi-in-di-buʾ mâtu Ar-ba-ai).* Anno 734 Tiglat-Pileser III (745—727)* hominem Arabem *(A-ru-bu)* nomine *Idibaʾil* provinciae Muṣri praefecit. Ex textibus eiusdem regis duas reginas Arabum, *Za-bi-bi-ê* et *Sa-am-si,* cognoscimus. Sargon II (721—705) in inscriptione quadam anni 715 memoriae prodit tribus Arabicas Tamûdi, Ibâdidi, Marsimani, Ḫajâpa a se victas atque in Samariam deportatas esse.[5] Omnibus iis atque multis aliis locis tantum regiones a Syria orientem et meridiem versus sitae intellegendae sunt, non de interiore Arabia cogitandum est, quamquam sunt, qui eam sedem bellorum Assyriorum fuisse dicant. Herodoto quoque in narrationibus de Arabibus (Hist. 3, 107—113) tantum incolae Arabiae septentrionalis ante oculos versantur, qui ab Homero (Odyss. 4, 84) Ἐρεμβοί nominantur, si hoc nomine non Aramaei significantur.[6]

[1] Nomen quoque „Arabiae“ ex opinione illa Arabes i. e. incolas deserti sive Beduinos (Arab. *bedu*; sing. *bedawi*, a *bâdije* = desertum) maximam partem incolarum paeninsulae fuisse, manavit. At in terra Jemen homines ab antiquissimis temporibus sedem stabilem et domicilium collocaverant. Nomine *ʿArabân*, quod in inscriptionibus Sabaeis invenitur, aliqua tribus appellari videtur; fortasse autem Beduini significantur. Etiam in inscriptione Arabiae meridianae Glas. 618, 8 ערב, *aʿrâb* iidem sunt qui Beduini.

[2] Aetate exsilium Babylonium sequente Arabes Judaeis plerumque inimici erant (Neh 2, 19; 6, 1 s. 6) eorumque hostibus refugium praebebant (Zabdiel 1 Mcc 11, 17; Emalkuel ib. v. 39). *Nabataeos* autem amicitiâ cum Judaeis coniunctos fuisse ex

* Non est dubium, quin Pûl (2 Rg 15, 19; 1 Chr 5, 26) sive Pûlu (in textibus cuneiformibus) cum Tiglat-Pileser III aequandus sit. Secundum recentissimas effossiones in Ḳal'at Schergâṭ (Assur) factas Tiglat-Pileser III quartus rex eius nominis appellandus est.

1 Mcc 5, 25; 9, 35 cognoscimus. Qui Nabataei (Ναβαταῖοι, נבטו, Arab. *nabaṭ, nabîṭ*) cum *Nabajâti* inscriptionum cuneiformium, quos Assurbanipal anno 688 bello persecutus est, et cum נְבָיוֹת, *Nebâjôth*, quorum Gn 25, 13; 28, 9; 36, 3; Jes 60, 7; 1 Chr 1, 29 mentio fit, aequandi esse videntur. Atque Nabataeos et Nebâjôth eandem esse gentem iam Josephus (AJ 1, 12. 4. § 221) significavit. Id autem cum quaestione cohaeret, cuius gentis Nabataei sint. Et Josephus quidem aliique scriptores antiqui eos Arabes nominant, quod eo confirmatur, quod eorum nomina maximam partem originis Arabicae sunt. E lingua autem Aramaica eorum nummorum et inscriptionum colligas eos originis Aramaicae esse. Illud quoque respiciendum est nomen נבית cum littera Taw, nomen נבטו cum littera Têth scribi. Quamquam vulgo Nabataeos Arabes esse putant, propterea quod Josephus haud dubie Arabes et Aramaeos discrevit neque sine causa Nabataeos Aramaice scribentes Arabes nominavit. Nabataeos autem eo tempore, cuius eorum nummi et inscriptiones sunt, linguâ Aramaicâ usos esse inde explicatur, quod tum lingua Arabica nondum in scriptis usurpabatur. Exeunte quarto a. Ch. n. saeculo Nabataei sedes antiquas Edomitarum inter mare mortuum et sinum Aelaniticum sitas occupaverunt. Eorum regnum, cuius caput Petra erat, paulatim ad meridiem et septentriones versus (usque ad Damascum et Palmyram) longe lateque patere coepit.

[3] Intellegendus est Aretas (Arab. *Hâriṯa*) IV, qui proprie Aeneas vocabatur, sed mutato nomine Aretas appellatus est (Jos. AJ 16, 9. 4. § 294). Conferas etiam 2 Mcc 5, 8.

[4] Josephus AJ 13, 5. 10. § 179 loco Ζαβεδαίων Nabataeos (Ναβατηνούς ed. B. Niese) legit, quae lectio minime fide digna est, quippe cum Nabataei amico erga Judaeos animo affecti essent.

[5] Videas E. Ebeling-B. Meißner, Reallexikon der Assyriologie I, 2 (Berlin-Leipzig 1929) 125—127.

[6] Strabo (1, 2) Ἐρεμβούς nihil aliud nisi τρωγλοδύτας Ἄραβας intellegendos esse putat. Stephanus Byzantinus (Thes. ling. Graec. s. v.) eos ἔθνος Ἀράβων appellat. Ceterum conferas Paulys REclAW², 1. Reihe, 11. Halbband (Stuttgart 1907) 413—417.

Inde a quarto et tertio a. Ch. n. saeculo nominibus Arabiae et Arabum tota quoque paeninsula Arabica eiusque incolae appellabantur. Etiam Act 2, 11, ubi nomen Arabum cum proselytis coniungendum est, ii Arabes intellegendi sunt, qui religionem Mosaicam professi erant, ita ut nomen Arabiae vi nunc usitata usurpatum est. Item Gal. 4, 25, ubi Sinai mons in Arabia situs esse dicitur, apostolus cum nomine Arabiae vim latius patentem coniungit.

3. Arabia meridiana ex opinione antiquorum Israelitarum haud dubie est pars terrae Kûš,[1] quia id nomen aeque patet atque nomen Aethiopiae apud Graecos et Romanos, nomen Indiae apud Europaeos recentioris aetatis. Atque partem aliquam Arabiae nomine Kusch significatam esse, etsi id nomen in inscriptionibus Arabiae meridianae adhuc inventum non est, constat. Iam ex Gn 10, 7 = 1 Chr 1, 9 in Ara-

bia gentem nomine Kusch fuisse perspicimus, cum ibi origo complurium tribuum Arabicarum ad Kusch referatur. Item aliis quoque locis veteris testamenti Kusch non Aethiopia, sed regio illa Arabica intellegenda est. Eiusmodi loci sunt: Nm 12, 1, ubi de uxore Mosis nomine Zippora sermo est.[2] 2 Chr 14, 8—14, ubi Zerach, regem Kuschitarum, aetate regis Asa (910—870) cum exercitu in regnum Juda invasisse et usque ad urbem Maresa[3] processisse memoriae proditur. Zerach igitur, si rex Aethiopum fuisset, ut regno Juda bellum inferret, antea Aegyptum subigere necesse erat; de qua re cum nihil cognoverimus, eum regem alicuius gentis Arabicae fuisse verisimilius est.[4] 2 Chr 21, 16, ubi Kuschitarum mentio fit, qui haud dubie in Arabia habitabant: „Excitavit Jahve contra Jehoram spiritum Philistaeorum et Arabum, qui (erant) ad latus Kuschitarum". Hîc Kuschitas non Aethiopas Africae sinu Arabico et amplis desertis ab Arabibus seiunctos intellegendos esse manifestum est. Nihilo minus sunt, qui existiment Arabes ad latus Kuschitarum i. e. Aethiopum habitare dici potuisse, etsi sinu Arabico seiuncti fuerint. Quod Hab 3, 7 nuntiis victoriarum Israelitarum, qui in terram Canaan invaserant, divulgatis tentoria Kuschan et Midian contremuisse dicuntur: „Vidi sub aerumna tentoria Kuschan, contremuerunt aulaea (i. e. tentoria) Midian", qui ea verba legebant, profecto non de Aethiopia Africana, sed de Arabia meridiana terrae Midianitarum proxima cogitaverunt. Praeterea Job 28, 19, ubi topazius terrae Kusch memoratur. Fortasse etiam Zeph 3, 10; Ps 68, 32; 87, 4 de regione Arabica nomine Kusch sermo est. *H. Winckler* (KAT 144 s.) aliique alios quoque locos veteris testamenti afferunt, ubi regionis Arabicae Kusch mentionem fieri dicunt: Gn 2, 13; 2 Sm 18, 21; Jes 20 3; 43, 3; 45, 14. At iis locis nomine Kusch Aethiopiam significari rectius poni videtur.

[1] F. Hommel (EGAO 575 s.) pro Kûš veteris testamenti *Kôš* legendum esse conicit. Quod vocabulum e *Kerâš* ducendum esse putat, si demonstrari possit terram *Ki-maš* (quod Babylonice *Ki-raš* pronuntiatur), cuius in textibus antiquorum Babyloniorum saepe mentio fit, cum Arabia media aequandam esse. — Apud Aegyptios *kš* postea *kûš* sonuisse certum est. Num autem pronuntiatio *kôš* vel *kôs* aetate novi regni usitata prior sit, non constat. Eadem aetate *kûš* terram ad Nilum a prima cataracta usque ad quartam cataractam sitam significat. Terra ab ea ad meridiem spectans nomine „terrarum meridianarum" vel „terrarum nigrorum *(nḥsj-w)*" vocabatur. Ex Jes 18, 1 aliisque locis biblicis posterioris aetatis apparet octavo et septimo a. Ch. n. saeculo demum notionem *kûš* latius patuisse quam aetate novi regni.

[2] F. de Hummelauer, Comm. in Numeros (Parisiis 1899) 97. — Ex aliorum opinione hîc nomine „Kuschita" contemptim femina alienigena significatur.

[3] Urbs Maresa non cum Chirbet Merâsch, quae a Bêt Dschibrîn 1.5 km meridiem et occidentem versus distat, sed cum Tell Sandaḥanne, qui a Chirbet Merâsch circiter 1 km meridiem et orientem versus situs est, aequatur, quippe cum ibi plurima urbis antiquae vestigia inveniantur. Neque mirum est, quod nomen antiquum ad ruinas illas Merâsch in eadem regione sitas, quae minoris sunt momenti, translatum est.

[4] Expeditio a rege Zerach contra regnum Juda suscepta illa quidem 2 Chr c. 14 memoriae proditur, in libris Rg non narratur. Neque adhuc a scriptoribus profanis confirmata est. Quare nonnulli (ut J. Wellhausen et B. Stade) eam contra historiae fidem esse putant, cum alii ei aliquid veri inesse dicant. J. Benzinger enim et F. Hommel eam ad incursionem Sabaeorum, H. Winckler ad incursionem Minaeorum in regnum Juda referunt. Certe respiciendum est libros Chr complura, quae ad historiam pertinent, continere, quae libri Rg omittunt, et nomen Zerach in inscriptionibus quoque Arabiae meridianae inventum esse. Velut filius principis sacerdotalis *Sumuhû-ali*, conditoris regni Sabaeorum, *Jadi'a-il Zerach* et posterior quidam rex Sabaeorum *(Sumu-hû)-ali Zerach* vocatur.

Sunt, qui dixerint narrationem 2 Chr 14, 8—14 ad bellum ab Aegyptiis aut potius ab Aethiopibus contra regnum Juda gestum pertinere, cum nomen Zerach nomini Pharaonis Osorkon I, successoris Pharaonis Sisak I, aequandum sit. At primum forma nominis זֶרַח cum nomine Osorkon, quod Hebraice אשרכן fere sonare putes, non congruit. Deinde manifestum est chronistam non de rege quodam Aegyptio cogitare, si Zerach simpliciter Kuschitam appellat. Denique quidquid de historia Aethiopiae et Aegypti illorum temporum accepimus, Aethiopum invasioni in Palaestinam repugnat. Conferas A. Alt, Israel und Aegypten (Beiträge zur Wissenschaft vom Alten Testament, 6. Heft) 38 s. Leipzig 1909.

4. Aegyptii Arabes communi nomine ṣa-su comprehendebant. Nomine autem terrae Punt ab iis saepe visitatae regiones a freto Bâb el-Mandeb atque sinu ʿAden et occidentem et orientem versus sitas significari, ut Arabia meridiana non excludatur, verisimile est.

Prima mentio terrae Punt *(P-wn-t)* non in textibus pyramidarum, qui vocantur,* invenitur (ubi autem deus turis Dd-wn commemoratur), sed in descriptione itineris a Hr-hwf aetate Pharaonis Mernerê (sextae domus regnatricis) facti, in qua de expeditione priore aetate (aetate quintae domus regnatricis) sub Pharaone 'Iss'i, antecessore Pharaonis Wn'is, eodem suscepta admonetur. Item regnante Sahurê (quintae domus regnatricis) Aegyptii in terram Punt processerunt. Seanḫkerê quoque, ultimus rex undecimae domus regnatricis, et reges duodecimae domus regnatricis in eam terram peregrinationes susceperunt, in quam etiam regina Ha'tschepsut navibus vecta est. Cuius rei memoria sculpturis templi Zoser-zosru (i. e. magnificentissimi) in Dêr el-baḥri siti, quibus res in terra Punt nascentes (tus, myrrha, aurum, pretiosae pelles, ebur, etiam servi et simiae) ostenduntur, retinetur.

---

* Textus pyramidarum eae longae inscriptiones nonnullarum pyramidarum exeunte aetate antiqui regni aedificatarum nominantur, quibus regibus mortuis tamquam bibliotheca textuum, qui ad res mortuorum pertinent, addita est.

Etsi terra Punt pars paeninsulae Somali ad orientem vergens intellegenda est (W. Spiegelberg, Aegyptologische Randglossen zum Alten Testament 9. Straßburg 1904), tamen ora quoque Arabiae meridianae contra sita Punt nominabatur; immo vero regio Africana hoc nomen a colonis Arabiae meridianae accepit. Sunt, qui Punt cum gente *Puṭ* (Gn 10, 6 = 1 Chr 1, 8 [Jes 66, 19 mendose *Pûl*], in textibus cuneiformibus Persarum *Putiyâ*, Babyloniorum *Pûṭa*) aequaverint, quae crebro unâ cum Lubim, Kusch, Ludim commemoratur (cf. Jes 66, 19; Jer 46, 9; Ez 27, 10; 30, 5; 38, 5; Nah 3, 9). Velut G. Ebers (Aegypten und die Bücher Mose's I. 63—71. Leipzig 1868) nomine *Pûṭ* gentem quandam Arabiae vocari putat. Contra H. Winckler (AoF I, 6, 513. Leipzig 1897) *Pûṭ* = Jon. *Puṭu* incolas terrarum maris Aegaei non Graecos i. e. eos, quos Graeci Κᾶρες nominabant, intellegit.

E. Glaser in commentatione „Das Weihrauchland und Sokotra" (in additamento ad „Münchener Allgemeine Zeitung" 1899, nr. 120 et 121) demonstrare conatus est incolas terrae Punt partem Phoenicum sive „Poenorum", quae e regionibus ad sinum Persicum sitis in Arabiam meridianam, terram Somali et Africam orientalem immigraverat, fuisse. In commentatione „Punt und die südarabischen Reiche" (Berlin 1899) sententiam, qua nomine Punt omnes gentes Arabiae meridianae eorumque colonias Africanas comprehendi censet, defendit; eas gentes, quas „Phoenices meridianos" vocat, cum „Phoenicibus septentrionalibus" in ora maris mediterranei habitantibus pari nomine, lingua, patria coniunctas esse; nomen autem antiquum Punt etiam nunc in Opone (= Râs Ḥâfûn, circiter 150 km a promunturio Guardafui [= Râs Garad-Ḥâfûn] meridiem versus) permanere. Antea oram terrae Somali a promunturio Guardafui usque ad aequinoctialem circulum fere et regionem mediterraneam ei respondentem terram Punt esse existimaverat (Skizze II, 296 s. cf. etiam „Ausland" 1890, 521—528: „Die Goldländer Punt und Sasu im Somalilande" et „Die Abessinier in Arabien und Afrika" 8. München 1895). Etsi complures viri docti (inter quos W. M. Müller et E. Meyer) contra E. Glaser dixerunt, tamen sententia illa nomine Punt regiones a freto Bâb el-Mandeb atque sinu ʿAden et occidentem et orientem versus sitas significari neque Arabiam meridianam excludi minime labefacta est. — Videas etiam J. Krall, Studien zur Geschichte des alten Aegypten. IV. Das Land Punt. Wien. 1890. F. Hommel, EGAO 634—654.

Apud antiquos Babylonios Arabia nominibus Magan et Meluḫḫa (in epistulis Amarna *Miluḫḫa*)[1] vocabatur, quorum illud partem ad orientem, hoc partem ad occidentem spectantem significabat. In qua re respiciendum est Babylonios Arabiam non paeninsulam Arabicam, sed terram ab Aethiopia usque ad Indiam patentem intellexisse. In inscriptionibus principum Ur-Ninâ (= Kalab-lšghanna) et Gudea, quas M. de Sarzec in Telloh effodit, memoriae proditur eos ex terris Magan et Meluḫḫa dioriten, porphyriten, lignum *ušû* (e quo fortasse *bedôlaḥ* = Akk. *buduḫu*, cuius Gn 2, 12 mentio fit, profluit), pulverem aureum adduxisse. Ex Meluḫḫa Babylonii ferrum quoque rude (*girzanum*, Arab. *farzânum*, Akk. *parzillu*, Hebr. *barzel*; cf. etiam Hebr. *garzen* atque Arab. *kirzîn* et *karzîm* = securis) i. e. Haematit, ut videtur, ad

clavas conficiendas apportandum curaverunt. Utraque terra in tabulis quoque fictilibus regum Narâm-Sin et Šar-kali-šarri commemoratur. Quod nomen Magan ab Asarhaddon et Assurbanipal ad Aegyptum transfertur, id in inscriptionibus regum Gudea et Narâm-Sin Aegyptum significare non potest; neque enim aut Aegyptus unquam a Babyloniis-Assyriis subacta est aut lapis diorites in Aegypto invenitur; neque cogitari potest incolas Nubiae et Babyloniae-Assyriae unquam merces inter se permutasse.[2]

[1] Amalek, nomen antiquissimae gentis (Nm 24, 20), quin cum nomine Meluḫḫa aequandum sit, dubium non est, sive rem sive sonorum leges respicias (Jdc 10, 12: *Mâʿôn et ʿAmâleḳ* = Magan et Meluḫḫa). Videas F. Hommel, EGAO 566—568.

[2] H. Grimme (Die weltgeschichtliche Bedeutung Arabiens-Mohammed [Weltgeschichte in Karakterbildern] 10b—12a. München 1904) terram Meluḫḫa cum paeninsula Sinaïtica et ora maritima Arabiae inter septentriones et occidentem spectantis (Midian), terram autem Magan cum parte septentrionali terrae Ḥedschâz aequat.

Arabes ipsi antiquis temporibus nomen *ʿarab* ignorant. Eorum poetae multas tribus Arabicas nominant et si quam rem omnium tribuum communem esse dicere volunt, verbis: „Tota Maʿad scit“ utuntur. Muhammed († 8. Junii anni 632 in urbe Medîna),[1] qui tribus Arabicas in unam gentem coegit, primus de lingua „Arabica“ et Ḳorân „Arabico“ dicit, sed vocabulum *ʿarab* ad Arabiam et Arabes significandos ne ipse quidem novit idque tantum ad Beduinos significandos usurpat.[2] Hodie quoque vocabulum *ʿarab* (sing. *ʿarabî* et *aʿrâbî*) Beduinos valet. Muhammedani, qui linguâ Arabicâ utuntur et sedem stabilem habent, si se Arabes esse dicere volunt, non *ʿarab*, sed *ûlâd el-ʿarab*, singuli *ibn ʿarab (bint ʿarab)*, se nominant. Sed vocabulum *ʿarab* paulatim novam vim accipere videtur, ut omnes gentes Arabice loquentes significet.

[1] A. Sprenger, Das Leben und die Lehre des Moḥammad. 3 Bde. Bertin 1861—65. H. Grimme, Mohammed. I. Das Leben. Münster i. W. 1892. II. Einleitung in den Koran. System der koranischen Theologie ib. 1895. Der Name Moḥammad (Zeitschrift für Semitistik und verwandte Gebiete VI, 1928, 24—26).

[2] Muhammed atque incolae urbis Mekka, qui mercaturam facientes in Syriam pervenerunt, nomen *ʿarab* a Syris et Graecis receperunt.

III

De divisione Arabiae antiquae eiusque natura

1. Plerumque Arabia secundum Ptolemaeum in Arabiam *felicem, desertam, petraeam,* dividitur. Quae divisio neque in sacris litteris observatur neque geographis orientalibus nota est, qui Arabiam desertam Syriae, Arabiam petraeam maximam partem Aegypto attribuunt. Eratosthenes et Strabo tantum felicem et desertam Arabiam discernebant.

Arabia felix vel beata (Ἀραβία ἡ εὐδαίμων), hodie *Jemen* (i. e. pars dextra sive australis, cui opponitur *eš-šam,* terra septentrionalis, hodiernum nomen Syriae) est paeninsula mari rubro, sinu Persico, oceano Indico circumclusa, cuius finis septentrionalis linea ab extremo sinu Aelanitico usque ad extremum sinum Persicum ducta est. Ceterum nomine Arabiae felicis falsa opinio excitari potest, cum eo, quod in singulas partes cadit, ad totam terram transferatur.

Conferas Paulys REclAW,[2] 1. Reihe, 11. Halbband (Stuttgart 1907) 885—891.

Quae pars ad meridiem Arabiae felici, ad orientem Babyloniae et Euphrati, ad septentriones Euphrati et Syriae, ad occidentem regioni Gilead confinis est, Arabia deserta (Ἀραβία ἡ ἔρημος vel ἡ ἔρημος τῶν Ἀράβων), hodie *el-Bâdije* (= desertum) vocatur et terrarum confinium ratione habitâ in desertum Syriae, desertum Arabiae, desertum ʿIrâḳ dividitur. Ibi Kedareni. Hagaritae, Ituraei, Midianitae, ut paucis dicam, Arabes, qui ab Abraham (i. e. ab Ismael vel a filiis Keturae) originem ducebant, habitabant.

Cum Plinius (5, 15, 72) Arabiam desertam imprimis „Arabiam nomadum" nominare videatur, hodie Beduini non modo Arabiam desertam, sed etiam maximam partem Arabiae petraeae pervagantur.

Quae pars ad orientem Arabiâ desertâ, ad meridiem mari rubro (quod in hac parte duo bracchia in septentriones extendit, sinum Heroopolitanum et sinum Aelaniticum), ad occasum Aegypto et mari mediterraneo, ad septentriones Palaestinâ circumdata est, Arabia petraea (Ἀραβία ἡ πετραία) appellatur. Ibi praeter alias gentes (Moabitas, Amalekitas, Midianitas) Edomitae sive Idumaei (in montibus Sêʿir, qui a parte meridiana maris mortui usque ad sinum Aelaniticum pertinent)[1], postea Nabataei habitabant. Vocabulum „petraea" initio certe nihil aliud nisi „saxosa" valuit, quem ad modum adiectiva quoque „felix" et „deserta" a natura regionis sumpta sunt. Cum autem

urbs Petra[2] clara facta esset, de ea cogitabatur, quippe quae et ipsa a situ saxeo nomen duxit (cf. appellationes: ἡ Ἀραβία ἡ ἐν Πέτρᾳ, ἡ κατὰ τὴν Πέτραν Ἀραβία, οἱ περὶ τὴν Πέτραν Ἄραβες). Inter Arabiam desertam et Arabiam petraeam iam antiquissimis temporibus Ammonitae, quorum origo ad Ammon, quem Lot cum filia natu minore per incestum genuerat, refertur (Gn 19, 30—38), habitabant.

[1] Qui montes hodie *eš-Šerât* appellantur. Septentrionali eorum parti nomen *ed-Dschebel* (= Gebal Ps 83, 8. apud Graecos Γεβαληνή) est.

[2] Urbs Petra in sacris litteris *Sela'* (cum articulo) appellatur, neque vero dubium est, quin non omnibus locis intellegenda sit, ubi illud vocabulum invenimus. Velut Jdc 1, 36 (ubi littera Mêm deleri debet) verisimiliter petra illa prope Kades Barnea intellegenda est, quae Nm 20, 8. 10 s. commemoratur. H. Vincent (R B, VII. 1898, 586 s.) putat his locis veteris testamenti Sela' certe caput Nabataeorum significare: 2 Rg 14, 7; 2 Chr 25, 12; Jer 49, 16; Ob v. 3. Loco Jes 16, 1 vis vocabuli Sela' obscura est.

Hodie Arabia in regionem *el-Hidschr* inter septentriones et occasum solis spectantem, in terram editam Arabiae mediae (*Nedschd* cum solitudinibus harenosis *Nefûd* et *el-Ruba' el-ḫâlî*), regiones maritimas dividitur. Regio maritima occidentalis cum urbibus *Mekka* (antiquissimis temporibus *Bekka,* apud scriptores profanos *Makoraba*)[1] et *Medîna* (*Jathrippa,* apud Ptolemaeum *Lathrippa,* ab aetate Muhammed *Medinet-en-Nebi* = urbs prophetae) *el-Ḥedschâz* (i. e. barrière) et longius meridiem versus *'Asîr* appellatur. Partes regionis maritimae meridianae sunt *el-Jemen* (a Chaulân meridiem versus), cuius partem septentrionalem Israelitae *Chavila* nominabant, *Ḥadhramût, Mahra, Kara.* Partes regionis maritimae orientalis vocantur (a meridie septentriones versus) *'Omân* sive *'Umân, Ḳaṭar* sive *Ḳaṭr, Baḥrain*[2], *el-Ḥasâ* sive *Ḥadscher.*

[1] E. Glaser (Skizze II, 235) nomen Μακοραβα, quo Ptolemaeus urbem Mekka vocat, ad Arabicum *makrâb* (= templum) referendum esse putat.

[2] Nomen Arabicum *Baḥrân,* quod postea pro forma dualis habebatur (unde nomen hodiernum *Baḥrain*), nihil aliud est nisi conversio Arabica nominis Akkadici *mât-tamti* = terra maris. Conferas F. Hommel, AiÜ 274.

2. Tota Arabiae paeninsula ad occidentem spectans ab el-'Aḳaba usque ad Bâb el-Mandeb montuosa multisque vallibus scissa est. Montibus a regione Ḥedschâz orientem versus assurgentibus nomen est *Dschebel-Ḥedschâz.* Montes ab urbe Medîna (1000 m) meridiem versus porrecti *Serât* (= dorsum) vocantur, singulis autem partibus varia sunt nomina. Ab urbe Mekka meridiem versus montes latiores fiunt atque in terris Jemen et Ḥadhramût continuantur. Montes a Mekka usque ad Taïf porrecti *Dschebel Kurâ* appellantur, ab undevicesimo gradu

latitudinis septentrionalis usque ad Bâb el-Mandeb *el-Jemen,* pars maxime meridiem spectans *el-Dschebel.* Nonnulli montes usque ad 3200 m assurgunt. Jam urbs Ṣan'â 2130 m mari altior est atque montes propinqui e planitie 650—1000 m eminent. Altitudo autem *Dschebel Hattun* 4000 m esse dicitur. In regione 'Omân assurgit *Dschebel el-Aswad* (= mons niger): *Dschebel el-Harîm* 2060 m, *Dschebel Aḫdhar* (= mons viridis) 3020 m. Pars septentrionalis paeninsulae usque ad duodetricesimum gradum latitudinis septentrionalis est planities 900 m alta et collibus humilibus continuis occupatur. In eo gradu *Dschebel Šammar* (1800 m) assurgit, constans ex duobus continuis montium iugis, *Dschebel Adscha'* et *Dschebel Salmâ,* quae planitie Ablatin separantur. Ab iis septentriones versus desertum Nefûd patet, meridiem versus regio edita Nedschd cum *Dschebel Imarieh* vel *el-'Aridh* sita est. Haud pauci montes olim ignes evomebant. Celeberrimus est mons *Sinai* in meridiana parte paeninsulae, quae ab eo nomen traxit, situs. De quo infra plura dicemus. Ceterum Arabia non tam altis montibus insignis est quam planitiebus editis, quae vallibus montibusque inter se distinctae per varios gradus ad mare descendunt.

Videas A. Sprenger, Die alte Geographie Arabiens 192—198. O. Loth, Die Vulkanregionen von Arabien nach Jâḳût (ZDMG, XXII, 1868, 365—382).

Maxime valles sunt in parte septentrionali *Wâdi Ṣirhân* a montibus Ḥaurân fere per magnam oasim Dschôf (quae antea Dûmat el-Dschendel i. e. Duma saxea vocabatur) ad Euphraten inferiorem pertinens; in parte media *Wâdi Ermek* a regione Nedschd usque ad ostium Euphratis procurrens, *Wâdi ed-Dawâsir* et *Wâdi er-Rumma* a regione 'Asîr usque ad sinum Persicum pertinentes, *Wâdi el-Ḥumdh* vel *Wâdi el-Kurâ* inter Medîna et Tebûk sita; in parte meridiana *Wâdi Ḥârid,* cuius pars inferior est Dschôf Arabiae meridianae cum ruinis urbium antiquorum Minaeorum, et *vallis terrae Ḥadhramût,* quae ab occidente ad orientem, deinde meridiem versus porrigitur atque in cursu inferiore *Wâdi Masîla* appellatur.

Inhabitabiles sunt magnae solitudines harenosae, quae in parte septentrionali Arabiae et in parte orientali et meridiana patent. Desertum Syrium (*Bâdiet eš-Šâm* vel *el-Ḥamâd*), quod rectius „desertum Arabiae septentrionalis" nomines, 186 000 qkm comprehendit. Magnum desertum *Nefûd* apud el-'Oela (el-'Ula) 680 m, apud el-Muteli et 'Aḳaba el-Hedschâzi 1154 m mari altius est et multos tumulos harenae 100—300 m altos continet. Parvum desertum Nefûd sive desertum

Dehnâ, circiter 800 km longum et 100 km latum, prorsus sterile esse videtur. Inter Ḥadhramût et Wâdi ed-Dawâsir desertum *el-Rubaʿ el-ḫâlî**, quo quarta fere pars Arabiae continetur, situm est. In parte media (i. e. in regione Nedschd 600—900 m edita) atque in parte inter meridiem et occidentem spectante (in Jemen et ʿAsîr) lata loca exstant, quae apta sunt, ubi palmae conserantur et pecuaria fiat, ex aliqua parte etiam agri colantur. Pars septentrionalis Arabiae occidentalis est regio saxosa cum nonnullis montibus, e quorum verticibus olim ignes erumpebant, et compluribus locis habitabilibus inter vastas solitudines sitis.

Fluvii maiores et perennes in tota paeninsula Arabica vix inveniuntur; nam magna eius pars est prorsus deserta et arida, in reliquis autem partibus valles tantum ad tempus aquis torrentium irrigantur, qui post imbres magnos cuncta inundant.

Quod nonnulli (inter quos E. Glaser, F. Hommel, J. Feldmann, S. Landersdorfer) tria flumina paradisi, quae praeter *Prât* (Euphraten) Gn 2, 11—14 commemorantur, in Arabia quaerenda esse dicunt (*Pišôn* = Wâdi ed-Dawâsir, *Gîḥôn* = Wâdi er-Rumma, *Ḥiddeḳel* = Wâdi Ṣirḥân), id alii (ut E. König) non probant.

3. Arabiam variis *animalibus, herbis, metallis*, abundasse et sacrae litterae et monumenta antiqua testantur. Atque ex animalibus imprimis cameli (Gn 37, 25; Jdc 7, 12; 1 Rg 10, 2 = 2 Chr 9, 1; Jes 60, 6; Jer 49, 29. 32), deinde varia animalia domestica (ut boves, oves, caprae, asini), fera (ut leones, hyaenae, pantherae, vulpes, canes aurei, asini feri), ibices, capreae, antilopes, simiae (in parte meridiana), varia avium[1], serpentium, scorpionum genera commemoranda sunt. Locustae ut saepe vehementer nocent, ita pro cibo quoque sunt. Sues et muli, anseres et gallinae olim deerant. Praeclari sunt equi Arabici. Atque iam in inscriptionibus Sabaeis equi commemorantur et imago quaedam equitis inventa est. Inter herbas solum Arabiae gignit frumentum (imprimis triticum et zeam), palmas, acacias, balsamum, varia aromata (ut tus, myrrham, bdellium), quorum maxima pars exportabatur. In vineis colendis indigenae etiam nunc magnam conferunt operam. Atque iam Arabes antiquos agriculturae deditos fuisse inde perspicimus, quod scriptor quidam indigena terram Jemen propter abundantiam arborum, fructuum, segetuum *alḥadhrâʾ* = laete virentem nominat. Coffea, etsi non in terra Jemen nata est, tamen inde longe lateque manavit. Quod ad

* R. E. Cheesman (In Unknown Arabia 228. London 1926) memoriae prodit nomen *ar-Rubʿ al-Ḫâlî* incolis regionis el-Ḥasâ ignotum esse; eos septentrionalem deserti partem *ar-Rimâl*, meridianam *Aḥḳaf* appellare.

metalla et gemmas attinet, inter dona, quae regina Sabaeorum Salomoni attulerat (1 Rg 10, 2 = 2 Chr 9, 1), atque inter merces, quas negotiatores Arabici in mercatu Tyrio proponebant (Ez 27, 22), aurum et lapides pretiosi commemorantur.[2] Aeris vero fodinas in paeninsula Sinaitica iam ab antiquissimis temporibus exercitas esse constat.

[1] De ave phoenice, cuius patria Arabia esse putatur, conferas cum quae *Plinius* (10, 1, 3 s.) et *Tacitus* (Annal. 6, 28) memoriae produnt, tum poema „De phoenice", quod *Lactantio* adscribitur.

[2] De locis, ubi lapides pretiosi inveniuntur, atque de fodinis auri et argenti agit *Hamdânî* Geogr. 202, de fodinis salis ib. 155.

4. Arabia, cum media fere orbe solstitiali, qui a cancro nominatur, dividatur, ad zonam ustam, quam vocant, pertinet. In ora maritima thermometrum noctu plerumque 30° mane 35°, die etiam locis maxime algentibus atque umbrosis plus 45° C ostendit. Ora maris rubri calidissimorum terrae locorum est. In regionibus editis dies illi quidem et ipsi calidi, noctes autem frigidae sunt. Nihilo minus quaedam provinciae, praesertim in terra Jemen sitae, cum arte irrigantur, fertiles sunt. Regiones quoque Ḥadhramût et ʿOmân magna excellunt fertilitate. Neque imbres in regionibus editis Arabiae interioris desunt. In fastigio autem montium terrae Jemen ad occidentem vergente tempore verno atque a Junio usque ad Septembrem, in fastigio ad orientem spectante a medio Novembri usque ad medium Februarium, in oris regionum Ḥadhramût et ʿOmân a medio Februario usque ad medium Aprilem pluit. In regionibus maxime editis ne nix quidem et glacies ignotae sunt.

Viatores in regionibus Arabiae haud raro duobus gravissimis incommodis afficiuntur: horribili illo vento fervente, qui Samûm (Ps 11, 6: *rûaḥ ziʿâphôt,* Jes 27, 8; Job 27, 21: *rûaḥ ḳâdîm,* Jes 13, 24: *rûaḥ midbâr*) appellatur atque non solum hominibus et animalibus, sed etiam stirpibus perniciosissimus est, cum gramina et herbas torreat ipsosque fontes et rivos exsiccet; viso illo, quod fata morgana (Francogallice *fée morgain*) appellatur atque in eo consistit, „ut propter singularem vaporum commotionem totum desertum vel eius pars aequoris lacuumve speciem ita referat, ut vel peritissimi viatores nonnunquam fallantur" (G. Gesenius, Thes. 1480 a), quam rem nonnulli interpretes vocabulo *šârâb* (Jes 35, 7; 49, 10. cf. vocabulum Persicum *serab* i. e. aquae superficies sive superficialis aquarum species) significari existimant, cum alii id aestum aëris deserti intellegant. Quod visum in Ḳorân quoque saepe describitur, velut 24, 40: „Impiorum opera sunt sicut vapor in deserto, quem sitibundus aquam reputat."

IV

De origine gentium Arabiae antiquae

In vetere testamento tres gentes, quae in Arabia consederunt, distinguuntur: *Kuschitae* (Gn 10, 7 = 1 Chr 1, 9), *Joktanidae* (Gn 10, 26—29 = 1 Chr 1, 20—23), *Abrahamidae* (Gn 25, 1—4. 12—16 = 1 Chr 1, 32 s. 29—31).

1. Atque Kuschitas unâ cum gentibus Semiticis in Arabia sedes habuisse non solum ex sacris litteris appareţ[1], sed etiam monumentis et similitudine linguarum comprobatur. Nam multas rationes inter Arabes originis Semiticae et Kuschitas (Aethiopas) intercessisse constat. Linguis autem Arabicâ et Aethiopicâ (*Geʿez* = emigratio)[2] singularis pars linguarum Semitcarum continetur i. e. eorum Semitarum, qui in terris ad meridiem vergentibus habitant, sed etiam cum ceteris linguis Semiticis, quibus Semitae terras ad septentriones vergentes incolentes loquuntur, arte cohaerent.

[1] Respiciendum est nomina Chavilâ, Šebâ', Dedân et apud Kuschitas, qui a Cham originem ducunt (Gn 10, 6 = 1 Chr 1, 8), et apud Semitas Arabiae inveniri (Gn 10, 7. 28 s; 25, 3; 1 Chr 1, 9. 22 s. 32), unde Kuschitas in Arabia habitasse apparet, quibuscum procedente tempore Semitae se miscuerunt. Ad hoc nomina Sabtâ et Raʿmâ, filiorum Kusch (Gn 10, 7 = 1 Chr 1, 9), nisi in Arabia orientali non inveniuntur, ut gentes Kuschiticae ibi se consederint. Loco Nm 12, 1 Moses, cum Israelitae Arabiam petraeam migrarent, feminam Kuschiticam uxorem duxisse dicitur. Habakuk (3, 7), cum terram Kuschan unâ cum Midian nominet, eam prope sinum Aelaniticum sitam esse dicit. Chronista Kuschitas, qui iuxta Arabes habitent, socios Philistaeorum esse tradit (2 Chr 21, 16).

Item Targum ad Ct 1, 5 Kuschitas in tentoriis Kedarenorum ponit, qui in deserto inter Arabiam petraeam et Babyloniam sito habitabant (cf. Jes 42, 11). Moses Chorenensis, celeberrimus geographus Armenius, cum incolas Arabiae partim nigros, partim fulvos esse tradat (Geogr. 86. ed. Whiston), de incolis Arabiae, quorum color cutis nigricat*, cognovit, qui incolae eo colore a ceteris Arabibus differebant. Et quod antiqui quidam interpretes nomen Kusch vocabulo *ʿarab* explicant et Arabiam sedem Kusch esse putant (Targ. Jonath. ad Gn 10, 6. Targ. ad 1 Chr 1, 8), inde quoque efficitur eos de incolis Arabiae diversi coloris cognovisse.

---

* Respiciendum est Kuschitas (Aethiopas) non ut Nigritas omnino nigros esse, ut in familia hominum Caucasia, de qua una in tabula gentium (Gn c. 10) agitur, ponendi sint.

[1] Inscriptiones linguâ Ge'ez confectae e temporibus demum, quae Christum natum sequuntur, manant, antiquissimae (regis 'Ezânâ) e quarto saeculo. Scriptae sunt sine signis vocalium et pars earum textus Sabaeos continet. E lingua Ge'ez aetate media linguae Tigrê et Tigrina sive Tigrai, praeterea lingua Amharica ortae sunt.

Ceterum de Kuschitis Arabiae videas A. Knobel, Die Völkertafel der Genesis. Ethnographische Untersuchungen (Giessen 1850) 253—256. 261—270.

2. Joktanidas iam ante aetatem Abraham in Arabiam venisse ex sacris litteris cognoscimus, ubi Joktan, auctor Arabum meridianorum, quintae post Noach generationi (Gn 10, 25), Abraham decimae demum (Gn 11, 26) attribuitur. In Arabia Joktanidae iam Kuschitas offenderunt, quibuscum se aliqua ex parte coniunxerunt. Kuschitas autem iam ante Joktanidas in Arabia consedisse inde apparet, quod eorum auctores ad aetatem Noach propius accedunt quam Joktan.

Filii Joktan Gn 10, 26—29 = 1 Chr 1, 20—23 enumerantur, quorum tredecim nomina partim nominibus locorum et regionum Arabiae servata, partim nondum reperta aut exstincta sunt: Almodad, Schaleph, Chazarmaveth, Jerach, Hadoram, Usal, Dikla, Obal (Ebal), Abimael, Scheba, Ophir, Chavila, Jobab. Unde totidem gentes ortae sunt, quarum pleraeque, quantum id reperiri potest, Arabiam meridianam incoluisse videntur. Atque fines terrae Joktanidarum Gn 10, 30 ita describuntur: „Erat habitatio eorum a *Mêšâ* (Bereschith rabba מישה, Targ. Jonath. מישא) usque ad *Sephâr* (et) montes orientis". *Mêšâ* ex nonnullorum opinione eadem regio est atque *Mesene* (Μεσήνη) ad ostium Šaṭṭ el-'Arab sita vel (idque fortasse melius) eadem atque *Maš'u,* quae pars deserti Syrii Euphraten attingens et usque ad sinum Persicum pertinens intellegenda est. Cum igitur Mêšâ in parte Arabiae inter septentriones et orientem spectante sita esset et nonnullae tribus Joktanidarum, quae Gn 10, 26—29 commemorantur, in parte Arabiae meridiana atque inter meridiem et occidentem vergente habitarent, *Sephâr* in Arabia ad meridiem et occidentem vergente quaerenda est. Ibi enim secundum Plinium (6, 23, 104) „regia Sapphar", secundum Ptolemaeum (6, 7, 25 et 41) Σάπφαρα, caput gentis Σαπφαρίτων, secundum Periplum maris Erythraei Ἀφάρ (legas Σαφάρ), caput regis Sabaitarum et Homeritarum, situm erat. Cuius loci scriptores quoque Arabici mentionem faciunt (G. Gesenius, Thes. 968 b). Praeterea in Arabia meridiana complura loca nomine *Tzafâr* fuerunt, quorum celeberrimus in parte orientali regionis Ḥadhramût ad mare situs erat. Nomina Tzafâr et Sephâr haud dubie idem valent atque in Arabia meridiana

etiam nunc vulgo *Isfôr* pro Tzafâr pronuntiant. In tabula autem gentium Sephâr in Arabia ad meridiem et occidentem vergente sita intellegenda esse videtur. Verba „*montes orientis*“ neque appositio sedis Joktanidarum, quod ea (Jemen) illis verbis significari non poterat, neque appositio nominis Sephâr esse possunt, quod ab ea urbe prorsus aliena est. Nihil aliud igitur nisi Joktanidas a Sephâr orientem versus usque ad „montes orientis“ habitasse significant. Ceterum nomen Hebraicum Joktan etiam aetate geographi Arabici Idrisî (saeculo duodecimo) in *Baišat-Jaktan,* quod est nomen urbis parvae in terra Jemen sitae, servatum est (Clima 2, 5).

Arabes quoque Joktan, filium secundum Eber (Gn 10, 25), quem *Ḳaḥṭan* nominant, pro auctore gentis habent. Quem post confusionem linguarum et dispersionem gentium in Arabia meridiana consedisse ibique regnasse narrant; *Himjar* autem sive *Hamjar,* eius abnepotem, primum omnium diademate se ornasse. Cum haud dubie nominibus Joktan et Kachtan unus atque idem vir appelletur, Sa'adja ha-Gaôn in conversione Arabica veteris testamenti pro Joktan nomen Kachtan ponit. Ceterum nomen Kachtan idem esse putatur quod *Katanitarum* (apud Ptolem. 6, 7, 20 et 23) ac regionis cuiusdam *Kachtan* a Nedschrân septentriones versus sitae (C. Niebuhr, Beschreibung von Arabien 275. Kopenhagen 1772). Atque etiam nunc permanere dicitur, quod regio quaedam Jemen septentrionalis et nonnullae tribus Arabicae hoc nomen gerant.

Videas A. Knobel, Die Völkertafel der Genesis 178—197.

3. Postea Abrahamidae quoque in Arabiam profecti sunt atque in media et septentrionali parte terrae consederunt; eorum quoque pars cum Kuschitis coaluit. Arabum autem ab Abraham oriundorum rursus duo sunt genera, quorum unum ab Ismael, filio Hagar[1], alterum ab aliquo filiorum, quos Ketura patriarchae peperit, originem trahit.[2] Posteri Abraham ex Hagar oriundi modo Ismaelitae, modo Hagaritae (Hebr. *hagrî,* plur. *hagrîm, hagrî'îm, hagrî'îm,* LXX Ἀγαρηνοί, Ἀγαραῖοι) nominantur diversasque regiones incolebant. Secundum 1 Chr 5, 10 Hagaritae temporibus Saul regis a Rubenitis ex regionibus a Gilead orientem versus sitis (ob pascua, ut videtur, quibus usque ad Euphraten potiti sunt) expulsi sunt. Idem bellum (secundum alios bellum posterius, sed utique ante annum 734 susceptum) fortasse 1 Chr 5, 18—22 quoque intellegendum est, ubi Hagaritae tribusque Ismaeliticae cum iis foederatae (Jetur, Naphisch, Nodab)[3] ab Israelitis trans Jordanem habitantibus devicti esse dicuntur. Fines autem Ismaelitarum ab Aegypto usque ad sinum Persicum Assyriamque patuisse ex Gn 25, 18 apparet. Nonnulli existimant Hagaritas ab Hagar nomen sortitos

esse (cf. Bar 3, 23: οἱ υἱοὶ Ἀγαρ) idque cum propter nominis similitudinem tum quia eos cum Ismaelitis foedere iunctos fuisse ex 1 Chr 5, 19 s. patet. Alii unam ex tribubus Ismaeliticis nomine Hagar prae ceteris insignitam fuisse putant; quare Ps 83, 7 Hagaritas ab aliis Ismaelitis distingui. Iidem qui Hagaritae sine dubio sunt Ἀγραῖοι (Eratosth. apud Strab. 16, 4, 2. Ptolem. 5, 19, 2), Ἀγρέες (Dionys. Perieg. 596), *Agraei* (Plin. 6, 28, 154). Hagar (Arab. *Hadschar*) etiam nunc regio quaedam Arabica inter Nedschd et sinum Persicum sita *(el-Ḥasâ)* appellatur. Quae quidem regio multo longius quam sedes Hagaritarum, quorum 1 Chr 5, 10 mentio fit, meridiem versus iacet. Hagaritae autem, cum ab Israelitis trans Jordanem habitantibus ex sedibus expulsi essent (1 Chr 5, 18—22), postea magis magisque meridiem versus profecti postremo ad sinum Persicum consederunt. Atque Hagaritas cum *Gerrhaeis* (Γερραῖοι) ad sinum Persicum habitantibus aequandos esse G. Gesenius (Thes. 365 a) verisimile effecit.[4] Cum autem tribus Ismaeliticae cum Israelitis artius coniuncti manerent quam ceterae tribus Arabicae atque numerosissimi et potentissimi patriarchae Abraham in Arabia posteri essent, nomen Ismaelitarum (id quod iam supra diximus) nonnunquam pro Arabibus universis ponitur. Velut Gn 37, 25. 27 s. Midianitae, quamquam a Ketura orti sunt, Ismaelitae nominantur. Aliis quoque locis nomina Midianitarum et Ismaelitarum promiscue usurpantur, ut Jdc 8, 22. 24. 26. Distinguuntur igitur Ismaelitae et Midianitae ut genus et species eiusdem nationis.

[1] Hagar = fuga. Conferas verbum Arabicum *hadschara* = se separavit, reliquit, fugit; unde *hidschra* = Muhammedis ab urbe Mekka in urbem Medîna fuga (anno p. Ch. n. 622), ex qua Muhammedani temporum rationem incohant.

[2] Ismael duodecim filios habuit, unde totidem gentes ortae sunt. Eorum nomina Gn 25, 13—15 = 1 Chr 1, 29—31 enumerantur: Nebajoth, Kedar, Adbeel, Mibsam, Mischma, Dumah, Massa, Chadad (Chadar, Hadar), Thema, Jetur, Naphisch, Kedmah. — Filii Abraham ex Ketura oriundi Gn 25, 2 = 1 Chr 1, 32 commemorantur: Simran, Jokscham, Medan, Midian, Jischbak, Schuach.

[3] Posteri Jetur, *Ituraei*, trans Jordanem ad radices Hermonis atque ad litus orientale lacus Genesareth habitabant, ubi postea provincia Ituraea (Lc 3, 1). — *Benê Nephischîm (Nephîsîm)*, qui Esr 2, 50 = Neh 7, 52 praeter *benê 'Asnâh* et *benê Me'ûnîm* inter servos templi (Nethinim) commemorantur, haud dubie posteri Naphischitarum bello captorum intellegendi sunt. — *Nodab* hic pro *Kedmah* positum est. Nodab et Kedmah tantum varia nomina eiusdem tribus sunt. In Palaestina trans Jordanem sita locus quidam nomine Ναδαβάθ erat (1 Mcc 9, 37), qui fortasse nomen tribus Nodab servat.

[4] Secundum *Plinium* (6, 28, 148) Gerrhaei ad sinum Persicum „ex adverso Tylos insulae" habitabant. Ut merces ex Arabia meridiana in regiones septentrionales apportarentur, efficiebant. F. Hommel (EGAO 137) urbem Gerrha *(el-Gar'âu)* cum loco *el-Ḳatîf* aequat.

Videas A. Knobel, Die Völkertafel der Genesis 174. 267—270.

4. Arabes iam mature in incolas vicorum aut urbium et in nomades dividebantur, qui in tentoriis ex pilis camelorum factis habitabant (Jes 13, 20; Jer 49, 29; Ez 25, 4; Hab 3, 7; Ct 1, 5. Vulg. 4)[1], cum gregibus armentorum, ovium, camelorum terram peragrabant (Jdc 6, 5; Jes 60, 6; Jer 49, 29; Ez 27, 21; 1 Chr 5, 10), capitibus familiarum *(schêch el-'arab)* et capitibus tribuum (*emîr;* Jdc 8, 5. 26; Jer 25, 24; 1 Rg 10, 15 = 2 Chr 9, 14: *reges;* Ez 27, 21: *principes*) parebant. Erant praeclari sagittarii (Jes 21, 17) et bellandi cupiditate flagrantes (Ps 120, 5—7). Crebrius rapinas faciebant quam bella gerebant (Jdc 6, 1—6). Praeterea viatoribus in deserto praedae ac rapinarum cupidi insidiabantur (Jer 3, 2: *'arâbî,* Vulg. *latro*). In unumquemque hominem Arabem et cecidit et hodie cadit, quod Gn 16, 12 de Ismael dicitur: „Manus eius contra omnes et manus omnium contra eum".

Arabes, qui sedem stabilem et domicilium collocaverunt, in parte meridiana paeninsulae habitant. Beduini illi quidem per totam paeninsulam dispersi sunt, plurimi autem in eius parte septentrionali vagantur. Arabes agriculturae dediti hodie *Fellâḥ* (a verbo Arabico *falaḥa* = arare) nominantur, a Beduinis autem, qui pecuariam faciunt atque agros colere pro ignominia habent, nobilitate inferiores esse existimabantur. In regionibus, quae inter desertum et terram cultam sitae sunt, nonnullae tribus Arabicae versantur, quae per ludibrium *Ma'âze* appellantur i. e. homines, qui plerumque in tentoriis habitant et vagi pascua quaerunt, data autem occasione agros quoque colunt.[2]

[1] *Plinius* 5, 11, 65. *Ammian. Marc.* Rer. gest. 23, 6, 13: „Scenitae Arabes".

[2] A. Musil, Arabia Petraea III, 21. Wien 1908. Ceterum conferas G. Jakob, Altarabisches Beduinenleben. Berlin 1897. A. Goodrich-Freer, Arabs in tent and town. London 1924.

5. Primi incolae Arabiae a scriptoribus Arabicis *Bajeditae* nominantur, quae gentes perierunt: Ad, Themud, Dschadis, Tasm, Amlik, Abil, Emim, Wabar, Dschasem, Szachar etc. De iis et de historia Arabiae antiquae multa fabulosa memoriae produntur: Bajeditas homines magnos, feros, impios fuisse, magna aedificia exstruxisse, a Joktanidis autem partim expulsos, partim exstinctos esse. Posteriores incolas Arabiae

scriptores Arabici in duas partes dividunt. Alteri, qui a Kachtan (Joktan) originem ducunt et pro puris et genuinis Arabibus (= *al-ʿarab al-ʿariba*) habentur, in Arabia inter meridiem et occidentem spectante (in terris Jemen et Ḥadhramût) habitaverunt, procedente autem tempore septentriones quoque versus progressi sunt. Alteri, qui ab Adnan, uno ex posteris Ismael, orti Arabiam mediam et septentrionalem incoluerunt, sunt Arabes facti vel insiticii (= *al-ʿarab al-mostáreba*) i. e. gentes, quae initio Arabes non fuerint, sed in Arabia demum facti sint. Alii gentes illas antiquissimas, quae perierunt, Arabes puros et genuinos, Kachtanidas et Abrahamidas Arabes factos esse dicunt.

Licet non quidquid scriptores Arabici de incolis Arabiae tradunt, verum sit, tamen nihil est, cur prorsus eos repudiemus, praesertim cum vetus testamentum non contra dicat. Fuerunt igitur iam in Arabia incolae, ad quos Joktanidae et Abrahamidae immigraverunt. Eorum lingua (exceptis gentibus ex Kusch oriundis) erat dialectus Arabica, quae iis dialectis Arabicis subest, quae progrediente tempore apud Arabes ex Joktan et Abraham oriundos exstiterunt atque excultae sunt.

Conferas A. Knobel, Die Völkertafel der Genesis 179—181.

V

De investigatione Arabiae antiquae

Descriptio itinerum in Arabia ante annum 1845 factorum apud C. Ritter, Die Erdkunde von Asien, 12. Teil, Berlin 1846 (cf. imprimis p. 738—766) exstat. De itineribus ab anno 1847 usque ad annum 1875 susceptis videas A. Zehme, Arabien und die Araber seit hundert Jahren. Eine geographische und geschichtliche Skizze (Halle 1875) p. 1—318. De itineribus usque ad annum 1882 factis F. Buhl quoque in „Historisk Arkiv" Köbenhavn 1884 (p. 321—334. 423—437: Sydarabien og dets aeldste Historie) agit. Descriptiones investigationis Arabiae praeterea invenias apud F. Hommel, Explorations in Arabia (in *H. V. Hilprecht*, Explorations in Bible Lands during the 19th Century, Philadelphia 1903, p. 698—726) et EGAO p. 522—538. 1039 s. 1040 (Die europäischen Forschungsreisen). D. G. Hogarth, The penetration of Arabia. London 1904, II. ed. 1905. D. Nielsen, Studier over oldarabiske Indskrifter, Köbenhavn 1906 (p. 1—35: Reiserne til Sydarabien). O. Weber, Forschungsreisen in Süd-Arabien bis zum Auftreten Eduard Glasers. Mit Kartenskizzen und Abbildungen (AO, VIII, 4) Leipzig 1907. Ch. M. Doughty, Travels in Arabian deserts, 2 voll. London 1923. Wanderings in Arabia: being an abridgement of „Travels in Arabian deserts", 2 voll. ib. 1923. D. Nielsen (in Verbindung mit *F. Hommel* und *N. Rhodokanakis*, mit Beiträgen von *A. Grohmann* und *E. Littmann*) Handbuch der altarabischen Altertumskunde. I. Die altarabische Kultur. Kopenhagen — Paris — Leipzig 1927 (p. 1—31: Erforschung Südarabiens, p. 37—51: Erforschung Nordarabiens).

Pervestigatio Arabiae summas habet difficultates atque nonnulli eorum, qui in interiores eius partes penetrare conabantur, ab indigenis necati sunt. Ex iis viris doctis, qui in Arabia antiqua diligenter exquirenda versati sunt, nominamus C. Niebuhr (1761—64 unâ cum Chr. Haven, P. Forskal, Chr. C. Cramer, G. W. Baurenfeind): Beschreibung von Arabien aus eigenen Beobachtungen und im Lande selbst gesammelten Nachrichten. Kopenhagen 1772 (editio Francogallica: Description de l'Arabie. Copenhague 1773. Nouvelle édition, tome 1—2. Paris 1779). Reisebeschreibung nach Arabien und andern umliegenden Ländern. I, Kopenhagen 1774. II, 1778. III, Hamburg 1837.

U. J. Seetzen (1809—11), qui primos textus Sabaeos transcripsit atque in urbe Ṣan'â iubente Imâm veneno interfectus est: Reisen durch Syrien, Palästina, Phönizien, die Transjordanländer, Arabia petraea und Unter-Aegypten. 4 tom. Berlin 1854—59.

J. L. Burckhardt (1814—16): Travels in Arabia by the late John Lewis B. 2 vols. London 1829. Ed. Germ. Weimar 1830.

Iter Arabiae investigandae causâ a Mehemet Ali institutum (1834). De quo itinere scripsit *M. O. Tamsier,* Voyage en Arabie, sejour dans le Hedjaz, compagne d'Assir. 2 vols. Paris 1841.

T. R. Wellsted (unâ cum Ch. J. Cruttenden, 1834—35) nonnullas inscriptiones, in iis unam maiorem (inscriptionem Ḥuṣn al-Ghurâb, quam vocant, cum anni nota 640) invenit: Travels in Arabia. 2 vols. London 1838. Ed. Germ. *E. Rödiger,* Reisen in Arabien, Halle 1842. Anno 1835 Ch. J. Cruttenden unâ cum T. G. Hulton urbem Ṣan'â visitavit ibique quattuor inscriptiones invenit.

P. E. Botta anno 1837 ad doctrinam de natura rerum excolendam iter fecit: Relation d'un voyage dans le Yemen. Paris 1841.

A. de Wrede (1843) in valle Obne (el-Abnâ) inscriptionem quandam Ḥadhramauticam, quae nomine Obne significatur, invenit: *H. v. Maltzan,* Adolph von Wredes Reisen in Ḥadhramaut, Beled Beny 'Yssa und Beled el Hadschar. Braunschweig 1870.

Th. J. Arnaud (1843) in urbibus Ṣan'â, Mârib, Ṣirwâḥ quinquaginta sex textus Sabaeos transcripsit: Relation d'un voyage à Mareb (Saba) dans l'Arabie méridionale, entepris en 1843 (JA V, 211—245. 309—345; VI, 169—237).

G. Wallin primus annis 1845 et 1848 Arabiam septentrionalem ab occidente ad orientem versus peragravit: Narrative of a journey from Cairo to Medina and Mecca by Suez, Arabá, Tawilá, al-Jauf, Jubbé, Háil and Nedjd, in 1845 (Journal of the royal geographical society, XXIV, 1854, 115—207). Notes taken during a journey through part of northern Arabia, in 1848 (ib. XX, 1851, 293—345).

R. Burton anno 1853 urbes Medîna et Mekka visitavit: Personal narrative of a pilgrimage to El Medina and Mecca. 3 vols. London 1855. II. ed. 1857. Ed. Germ. *K. Andrees,* Burtons Reisen nach Medina und Mekka und in das Somaliland nach Härrär. Leipzig 1861.

Mr. Coghlan anno 1860 circiter quadraginta tabulas ex aere factas sibi comparavit, quae inscriptiones diis dedicatas continent. Omnes praeter unam, quae urbis Šabwat in terra Ḥadhramotitarum sitae est (Osiand. 29), in vetere sanctuario in 'Amrân (ab urbe Ṣan'â septentriones et occidentem versus) sito inventae sunt atque nunc in museo Britannico asservantur.

M. G. Palgrave (1862—63): A narrative of a years journey through central and eastern Arabia. 2 vols. London-Cambridge 1865. VI. ed. 1871. Ed. Germ. 2 tom. Leipzig 1867—68. Conferas *C. Guarmani,* Il Neged settentrionale, itinerario da Gierusalemme a Aneizeh nel Cassim. Jerusalem 1866.

J. Halévy adhuc unus homo Europaeus est, qui annis 1869 et 1870 regionem Dschôf i. e. sedem antiquorum Minaeorum lustravit et sescentos octoginta sex textus, in iis quinquaginta (circiter triginta Minaeos) mediae longitudinis transcripsit: Rapport sur une mission archéologique dans le Yémen. Paris 1872. Voyage au Nedjrân (Bulletin de la société de géographie 1873 et 1877).

H. v. Maltzan (1870—71): Reise nach Südarabien und geographische Forschungen in und über den südwestlichsten Teil Arabiens. Braunschweig 1873. — Ch. M. Doughty (1876—78): Travels in Arabia deserta. 2 vols. Cambridge 1888.

R. Burton mense Aprili anni 1877 et a mense Decembri eiusdem anni usque ad mensem Aprilem anni 1878 terram Midian lustravit: The gold-mines of Midian and the ruined Midianite cities. A fortnight's tour in north-western Arabia. With numerous illustrations. London 1878. The land of Midian (revisited). With map and illustrations on wood and by chromo-lithography. ib. 1879. Conferas etiam Itineraries of the second Khedival expedition: Memoir explaining of the new map of Midian made by the Egyptian staffofficiers. With map (Journal of the royal geographical society, IXL, 1879, 1—150).

R. Manzoni (1877—80): El Yemen, tre anni nell' Arabia felice. Excursioni fatte dal Settembre 1877 al Marzo 1880. Roma 1884. — J. F. Keane anno 1878 in urbes Medîna et Mekka venit: Six months in Meccah. London 1881. My journey to Medinah. ib. 1881. Six months in the Hejaz. ib. 1887. — Lady Anne Blunt cum coniuge Sir *Wilfrid Scawen Blunt* (1878—79): A pilgrimage to Nejd, the cradle of the Arab race. A visit to the court of the Arab emir and „our Persian campaign". 2 vols. London 1880. II. ed. 1881.

Optime vero de Arabia antiqua exploranda E. Glaser († 7. Maii 1908) meritus est, qui quattuor itinera in eam terram suscepit. In primo itinere (1882—84) ducentas septuaginta sex inscriptiones Sabaeas et circiter viginti manuscripta collegit; in altero (1885—86) centum viginti quinque inscriptiones, in his multos lapides textibus ad religionem pertinentibus impletos, et ducenta quinquaginta manuscripta Arabica; in tertio (1887—88) sescentos triginta duos textus Sabaeos et Minaeos (in his „inscriptionem Ṣirwâḥ" cum plus mille verbis, quae duodetriginta lineis sena metra longis incisa sunt) et trecenta quadraginta sex manuscripta Arabica; in quarto (1891—92) circiter centum inscriptiones Katabanicas et ducenta quinquaginta unum manuscripta Arabica. Quas inscriptiones omnes E. Glaser partim ipse transcripsit, partim a Beduinis sine erroribus transcribendas curavit. Idem magnum numerum sculpturarum, nummorum, aliarum rerum collegit, quae nunc in celeberrimis museis Europae servantur. Conferas *O. Weber,* Eduard Glasers Forschungsreisen in Südarabien (AO, X, 2) Leipzig 1909. *D. H. Müller* und *N. Rhodokanakis,* Eduard Glasers Reise nach Mârib. Wien 1913.

Praeterea nominamus S. Langer, qui anno 1882 novem inscriptiones invenit. Ab indigenis occisus est. Videas *D. H. Müller,* Sabäische Inschriften entdeckt und

gesammelt von Siegfried Langer (ZDMG, XXXVII, 1883, 319—421). — S. B. Miles, qui anno 1884 regionem 'Omân peragravit: Journal of an excursion in Oman in south-east Arabia (Geographical journal VII, 1896, 522—537).

J. Euting et Ch. Huber (1883—84). Videas *J. Euting*, Tagebuch einer Reise in Inner-Arabien. 1. Teil, Leiden 1896, 2. Teil von *E. Littmann* herausgegeben, ib. 1914. *Ch. Huber*, cui inscriptio Aramaica urbis Teimâ debemus, anno 1884 prope Djidda interfectus est. Eius commentarii diurni ab *E. Renan, Barbier de Meynard, C. Maunoir* Parisiis 1891 editi sunt: Journal d'un voyage en Arabie (1883—84) avec atlas.

C. Snouck Hurgronje annis 1884 et 1885 in urbibus Djidda et Mekka commoratus est: Mekka, 2 tom. Haag 1888. Bilder aus Mekka, ib. 1889. — A. Deflers anno 1887 herbariae causâ in terram Jemen iter fecit: Voyage au Yemen. Journal d'une excursion botanique faite en 1887. Paris 1889. — J. Th. Bent cum coniuge *M. V. A. Bent* (1889, 1893—95, 1897): Geographical journal VI, 1895, 109—134, 595—613. Southern Arabia. London 1900. — H. Burchardt (1890—91): Reiseskizzen aus dem Jemen (Zeitschrift der Gesellschaft für Erdkunde 1902, 593—610).

W. B. Harris mense Januario anni 1892 ab 'Aden in urbem Ṣan'â profectus est: A journey through Yemen. London 1894. — E. Nolde (1893): Reise nach Innerabien, Kurdistan und Armenien 1892 (mendum typographicum pro 1893!) Braunschweig 1895. — L. Hirsch (1893): Reisen in Südarabien, Mahraland und Hadramût. Leiden 1897 (cf. *E. Glaser* in Petermanns Mitteilungen 1897, III, 37—39). — C. Landberg (1896): Arabica, nr. 4. Leyde 1897, nr. 5. ib. 1898.* — A. Jaussen et R. Savignac a „Société francaise des fouilles archéologiques" in Arabiam missi praeter alias res inscriptiones quoque Minaeas collegerunt: Mission archéologique (mars-mai 1907). De Jérusalem au Hedjaz. Médâïn-Saleḥ (Publications de la société des fouilles archéologiques) Paris 1909.

Magni momenti sunt ea itinera, quae R. E. Brünnow et A. de Domaszewski annis 1897 et 1898 ad Arabiam provinciam Romanam investigandam susceperunt: Die Provincia Arabia auf Grund zweier 1897 et 1898 unternommener Reisen und der Berichte früherer Reisenden beschrieben. 2 tom. Straßburg 1904—05.

Multum et iis itineribus profectum est, quae A. Musil annis 1896—98 et 1900—02 in terram Moabitarum et Edomitarum antiquorum atque annis 1908—15 in Arabiam et Mesopotamiam suscepit: Kuṣejr 'Amra. I, Textband mit einer Karte von Arabia Petraea. II, Tafelband. Wien 1907. Arabia Petraea: I. Moab. Topographischer Reisebericht. ib. 1907. II. Edom. Topographischer Reisebericht, 2. Teile. ib. 1907—08. III. Ethnologischer Reisebericht. ib. 1908. The northern Ḥedschâz. A topographical itinerary (American geographical society. Oriental explorations and studies, nr. 1) New York 1926. Arabia deserta. A topographical itinerary (nr. 2) ib. 1927. Northern Nedschd. A topographical itinerary (nr. 5) ib. 1928.

Item memoratu digna sunt itinera, quae H. Burchardt in Arabia orientali et meridiana fecit (anno 1907 urbem Ṣan'â visitavit). Conferas *E. Mittwoch*, Aus dem Jemen. Hermann Burchardts letzte Reise durch Südarabien, Leipzig 1926. — De itineribus recentissima aetate ad Arabiam pervestigandam susceptis nominamus *Barclay*

* Ab academia Vindobonensi annis 1898 et 1899 iter Arabiae investigandae causâ ducibus *C. Landberg* et *D. H. Müller* institutum est, quod minus prospere evenit.

Raunkiaer (anno 1912): Gennem Wahhabiternes Land paa Kamelryg. Forskningsrejse i Oest- og Centralarabien (Kjobenhavn 1913) et *H. St. J. B. Philby* (annis 1917 et 1918): The heart of Arabia. A record of travel and exploration, illustrated. 2 vols. London 1922. Ed. Germ. Das geheimnisvolle Arabien. Entdeckungen und Abenteuer. 2 tom. Leipzig 1925. Praeterea ephemerides geographicae adeundae sunt.

Paeninsula quoque Sinaitica summâ diligentiâ pervestigata est. Qua pervestigatione narrationes veteris testamenti ad eam pertinentibus confirmatae sunt. Velut E. H. Palmer annis 1868 et 1869 montem Sinai regionesque proximas, annis 1869 et 1870 septentrionalem partem paeninsulae Sinaiticae, anno 1870 terras Edom et Moab perlustravit. Mense Octobri anni 1882 prope Ḳal'at en-Naḥl a Beduinis occisus est. Videas eius opus: The desert of the Exodus. Journeys on foot in the wilderness of the forty years wanderings undertaken in connexion with the Ordonance Survey of Sinai and the Palestine Exploration Fund. 2 vols. Cambridge 1871. Ed Germ. Der Schauplatz der vierzigjährigen Wüstenwanderung Israels. Fußreisen in der Sinai-Halbinsel und einigen angrenzenden Gebieten. Gotha 1876. — H. Clay Trumbull anno 1881 oasim Ḳadis visitavit: Kadesh-Barneah, its importance and probable site with the story of a hunt for it including studies of the route of the Exodus and the southern boundary of the holy land. New York 1884. — Imprimis recentissima aetate ea paeninsula saepius peragrata est, ut anno 1902 ab A. Sargenton-Galichon (Sinaï Ma'ân Pétra sur les traces d'Israël et chez les Nabatéens. Paris 1904), anno 1903 ab E. D. Schoenfeld (Die Halbinsel Sinai in ihrer Bedeutung nach Erdkunde und Geschichte auf Grund eigener Forschung an Ort und Stelle. Berlin 1907), anno 1905 a W. M. Flinders Petrie (Researches in Sinai, with chapters by *C. F. Curelly*. London 1906), annis 1905 et 1906 a L. Szczepański (Nach Petra und zum Sinai. Zwei Reiseberichte nebst Beiträgen zur biblischen Geographie und Geschichte. Innsbruck 1908), anno 1906 a Dominicanis Hiersolymitanis duce A. Jaussen (Itinéraire de Nakhel à Pétra [RB, N. S. III, 1906, 443—464], Notes sur l'itinéraire de Nakhel à Pétra [ib. 595—600], cf. *M. Lidzbarski*, Ephemeris für semitische Epigraphik III, 267—279. Giessen 1915), denique anno 1914 (*K. Schmidt* und *B. Moritz*, Die Sinai-Expedition im Frühjahr 1914. Berlin 1926).

De Petra videas *G. Dalman*, Petra und seine Felsheiligtümer. Leipzig 1908. Neue Petra-Forschungen und der heilige Felsen von Jerusalem ib. 1912. A. B. *W. Kennedy* Petra, its history and monuments. London 1925.

VI

De inscriptionibus antiquorum Arabum

Litterarum monumenta antiquorum Arabum procedente tempore variis nominibus significata sunt. Et eae quidem inscriptiones, quae primae in Europam latae sunt, „Himjaricae" vel „Himjariticae" appellabantur. Postea omnes inscriptiones in Arabia meridiana inventae nomen „Sabaeorum" acceperunt. Eo tempore, quod itinera a J. Halévy suscepta secutum est, nomen „inscriptionum Minaeo-Sabaearum" usitatum erat. Cum autem in regnis quoque Ḥadhramotitarum et Katabanorum inscriptiones

inventae essent, nomen „inscriptionum Arabiae meridianae“ in usum venire coepit. Denique cum J. Euting in Arabia quoque septentrionali „inscriptiones Arabiae meridianae“ (i. e. Minaeas) invenisset, ad omnes inscriptiones, quae aetatis Muhammed antecedentis sunt, significandas nomen „inscriptionum antiquorum Arabum“ introductum est.

1. Inscriptiones antiquorum Arabum duabus dialectis linguae Arabicae confectae sunt, Minaeâ (Ma'ânaeâ) et Sabaeâ, quae cum tantum litterae consonantes scriptae sint, haud multum inter se differre videntur, re vera autem aeque diversae sunt atque linguae Canaanaea et Aramaica. Atque inscriptiones Minaeae a Sabaeis cum grammaticâ (velut Minaei non praepositionem *la*, sed *ka* dativo anteponunt) et copiâ verborum tum imprimis eo differunt, quod vocalis longa (nonnunquam etiam brevis) *a* et vocalis brevis *i* saepe signo *h* exprimuntur.[1] Alii quattuor dialectos discernunt: Minaeam, Sabaeam, Ḥadhramauticam, Katabanicam.[2] Duarum autem posteriorum etsi usque adhuc non multi textus noti sunt, qui quasdam proprietates grammaticas exhibent, tamen in universum dici potest eas dialecto Minaeae propiores esse quam Sabaeae.

[1] F. Hommel, Das graphische ה im Minaeischen und das Alter der minaeischen Inschriften (MVAG, II, 3 [1897] 258—272). D. Nielsen, Der Vocalbuchstabe ה im Minaeischen (ib. XI, 4 [1906] 295—316). — J. H. Mordtmann (in ZA. 12. Ergänzungsheft, 1897, 78—95: Parasitisches ה im Minaeischen und Sabaeischen) existimat litteram ה re vera ut *h* pronuntiatam esse neque eâ tantum incertam quandam vocalem scribendo expressam esse.

[2] Velut D. Nielsen, Handbuch I, 30.

Scriptura monumentorum Arabiae antiquae, quam Arabes *musnad* (Germ. Stützschrift) nominant, a dextra sinistrorsum, interdum a sinistra dextrorsum, raro vicissim in utramque partem *(bûstrophêdon)* dirigitur. Litterae formâ figurarum geometricarum sunt neque inter se coniunguntur. Singula verba lineis directis inter se separantur. Iis litteris (quae tanta sunt perfectione, ut iam per complura saecula usitatae fuisse existimandae sint) inscriptiones Minaeae, Sabaeae, Ḥadhramauticae, Katabanicae confectae sunt.

Scripturae antiquorum Arabum, ut multae similitudines cum scriptura Phoenicum et antiquorum Hebraeorum, ita rursus tot proprietates sunt, ut non una ab altera manavisse possit. Immo vero utraque scriptura ad tertiam communem tertio a. Ch. n. millennio in Arabia inter septentriones et orientem spectante[1] vel in Babylonia[2] ortam et procedente tempore mutatam atque excultam referenda est. Si autem ex

nonnullorum opinione scriptura Aegyptiorum, quae iam circa annum a. Ch. n. 4000 exstitit, cum scriptura Semitarum occidentalium cohaeret, id ad tempora historiam antecedentia referendum est.

[1] O. Weber, Arabien vor dem Islam[2] 13 s. (AO, III, 1) Leipzig 1904. F. Hommel, EGAO 97.

[2] H. Winckler, Die Völker Vorderasiens[2] 16 (AO, I, 1) Leipzig 1903.

Plurimae inscriptiones, quae ad memoriam nostram pervenerunt, vel dedicationes vel vota diis facta, ut alicui necessitati subvenirent, continent vel beneficio accepto vota illa persoluta esse nuntiant. Sed conscientia quoque culpae, quae ad mores pertinet, nonnullis inscriptionibus exprimitur. Nusquam vero in iis ullum vestigium opinionis vitae post mortem futurae invenitur, in qua tamen re respiciendum est quae inscriptiones ad religionem pertinent, eas multifariam obscuras esse. Haud paucis inscriptionibus de aedificandis domibus, arcibus, turribus, munimentis varii generis agitur.

Inscriptiones in truncis lapidum, columnis, basibus simulacrorum deorum in templis collocatorum incisae sunt. Muri quoque templorum inscriptionibus ornabantur. Praeterea multae tabulae ex aere factae cum inscriptionibus permanserunt, quae et ipsae in templis collocabantur. Litterae inscriptionum, quibus muri templorum et domuum ornabantur, saepe tantae sunt, ut etiam maiore spatio interiecto legi possint.

2. Antiquior est dialectus Minaea, cuius inscriptiones a regibus regni *Ma'în* (in regione Dchôf, a provincia hodierna Ṣan'â septentriones versus, a Mârib septentriones et occidentem versus sita), regni *Ḳatabân* (a Mârib meridiem et orientem versus siti), regni *Ḥadhramât* (quod nomen postea *Ḥadhramôt* pronuntiabatur, hodie *Ḥadhramût*) factae sunt. Inscriptiones Minaeae, cum regnum Minaeorum ex complurium virorum doctorum opinione ante regnum Sabaeorum fuerit (de qua re infra dicemus), maximam partem iis temporibus, quae inter Mosen et Salomonem intercedunt, confectae sunt. Ex iis haud multas res gestas cognoscimus; populi quoque finitimi et quae rationes iis cum Minaeis intercesserint, raro commemorantur. Creberrime vero in iis de rebus ad cultum divinum pertinentibus agitur, imprimis de donis in deos collatis.

Dialectum Minaeam, in qua Babylonismi (suffixum 3. pers. *śû, śumû* pro *hû, humû*, forma causativa *śakbala* pro *hakbala*), verbum a Babyloniis receptum *satara* = scribere (pro *kataba*), alia eius modi inveniuntur, F. Hommel in libro, qui inscriptus est „Südarabische Chrestomathie: Minaeo-sabaeische Grammatik, Bibliographie, Minaeische Inschriften nebst Glossar" (München 1893), perscrutatus est.

a) Inscriptiones regum regni Ma'în omnes fere J. Halévy annis 1869 et 1870 invenit descripsitque: in ruinis Ma'în (i. e. urbis Ḳarnâwu) octoginta, in ruinis Barâḳiš (i. e. urbis Jathil) centum quinquaginta quinque, nonnullas in Kamna atque in Saudâ (es-Soud). In quibus triginta fere inscriptiones maiores sunt, cum ceterae e paucis verbis vel versibus constent. E. Glaser in quarto itinere contigit, ut omnium fere inscriptionum maiorum, quas J. Halévy tantum imperfecte et vitiose descripserat, auxilio Beduinorum exemplaria sine vitiis acciperet. Idem primos lapides inscriptionibus Minaeis impletos in Arabia comparavit atque in Europam transportavit. Quorum plurimi posterioribus temporibus regni Minaeorum inscripti sunt atque hodie Londinii (in museo Britannico) servantur. J. Euting in el-'Oela (in Midian meridiana) viginti quinque fragmenta inscriptionum Minaearum (praeter quinquaginta graffitos Minaeos) invenit, quae ad historiam Arabum cognoscendam magni sunt momenti, propterea quod ibi nomina quoque regum commemorantur.[1] Postea A. Jaussen et R. Savignac ruinas in el-Ḥidschr (Medâin Ṣâliḥ), el-'Oela, Teimâ (inter Medîna et Petra) sitas perscrutati sunt ibique multas novas inscriptiones Minaeas atque plus centum graffitos Minaeos invenerunt et transcripserunt.[2] Inscriptio quaedam Minaea (elogium sepulcri) in Babylonia quoque (in ruinis urbis Erech Gn 10, 10. hodie Warka) medio saeculo elapso a William Kennet Loftus effossa est, unde perspicitur nono vel octavo a. Ch. n. saeculo Minaeis cum Babyloniis commercium fuisse. Etiam in Koweit, qui locus Babyloniae confinis est, William Henry Irvine Shakespear duas inscriptiones Minaeas invenit. Memoratu quoque digna est inscriptio Minaea in insula Delos effossa[3]. Sarcophagum autem Minaeum, qui in Aegypto (Memphi) anno 1893 inventus et post interitum demum regni Minaeorum confectus est, originis quoque Katabanicae vel Ḥadhramoticae esse existimes.[4]

[1] D. H. Müller, Epigraphische Denkmäler aus Arabien (Denkschriften der kaiserl. Akademie der Wissenschaften, Phil.-hist. Kl. Bd. 37, Wien 1889). J. H. Mordtmann, Beiträge zur minäischen Epigraphik (ZA. 12. Ergänzungsheft, Weimar 1896). Conferas F. Hommel, Zu den arabischen Inschriften von el-Öla (Aufsätze und Abhandlungen arabistisch-semitologischen Inhalts I, 1—51. München 1892).

[2] A. Jaussen et R. Savignac, Mission archéologique en Arabie. I. De Jérusalem au Hedjaz (1907) Paris 1909 (cf. J. Guidi in R B. N. S. VII, 1910, 421—426). II. El-Ela, d'Hegra, a Teima, Harrah de Tebouk (1909 et 1910), Texte et atlas (3 vol.) Paris 1914.

[3] F. Hommel, Zu der auf der Insel Delos gefundenen minäischen Inschrift; Hubal-Habel-Apollon (OLZ, XII, 1909, 59 s.). O. Weber, Zum minäischen Altar von Delos (ib. 60—65).

[1] N. Rhodokanakis, Die Sarkophaginschrift von Gizeh (Zeitschrift für Semitistik II, 1924, 113—133).

b) Ex omnibus inscriptionibus Minaeis, quae ad memoriam nostram pervenerunt, nulla maioris est momenti quam inscriptio Glas. 1155 = Hal. 535 + 578 (ex Barâḳiš), quae regno Minaeorum florente, regnante Abî-jadi'a Jathu' orta est. In qua 'Ammîṣaduḳ et Sa'ad praefectos provinciae Muṣrân fuisse et societatem mercatorum ad oram maris mediterranei profectam incolumem inde domum revertisse memoriae proditur; Minaeos enim cum Miṣr, A'šûr, 'Ibr-naharân commercium habuisse. In via autem inter Ma'ân (a Petra meridiem versus) et Ragmat (prope Nedschrân) societatem illam mercatorum a Sabaeis (Saba') et Chawilaeis (Ḫawilân) improviso oppressam esse, sed eos repulisse. In Aegypto, ubi „dominator terrae septentrionalis" et „dominator terrae meridianae" inter se bellum gererent, in certamina inter Mdhj (Madhaj) et Miṣr exorta incidisse, sed incolumem ex Aegypto egressam diis iuvantibus usque ad fines urbis suae Ḳarnâwu pervenisse. In extrema inscriptione dii, rex Minaeorum aliique viri gravi auctoritate invocantur, quorum tutelae dedicatio et inscriptio committuntur.

Quae inscriptio, quacum textus Glas. 1083 et 1302 conferas[1], certe non anno 525 demum, quo Cambyses Aegyptum invasit (Herod. Hist. 3, 7 s.), orta est, id quod nonnulli (D. H. Müller, J. H. Mordtmann, E. Meyer, M. Hartmann, E. König) dicunt, sed multo ante, iam circa annum millesimum confecta esse videtur (E. Glaser, F. Hommel, H. Winckler, O. Weber, alii). Tum Madhaj (מדי) in Aegypto seditionem (מרד, *marâd*) movebant atque a „dominatore terrae septentrionalis" (Scha'mat) cum „dominatore terrae meridianae" (Jamnat) atrox bellum gerebatur. Ille Cambyses, hic Psammetich III, Madhaj autem Persi (Medi)[2] esse dicuntur. Atque qui nomine Madhaj Persas appellari putant, locum 2 Chr 36, 20 afferunt, ubi LXX interpretes Hebraicum *pâras* vocabulo Μήδων converterunt. At homo Arabs forte in Aegypto commorans Persas certe non Medos nominavit. Neque apte vocabulum *marâd* (seditio) de Cambysis bello cum regno Pharaonum gesto usurpatur et verbis „dominator terrae septentrionalis" et „dominator terrae meridianae" nimis obscure rex Persarum et Pharao significantur. Verba „terra septentrionalis" et „terra meridiana" haud dubie Aegyptum inferiorem et superiorem valent et Madhaj gens Nubiae nomine *Mdh'* intellegenda est, cuius multi et in bello et in pace Aegyptios adiuvabant, ut de seditione militum agatur. Nisi igitur inscriptio

ad impetum ab Aethiopibus factum (Pianḫi, Šabaka, „dominator terrae meridianae“) pertinet, antiquissima et fortasse iam exeunte aetate Hyksos orta esse potest, quoniam Pharao indigena, qui Thebas sedem regni habebat, cum rege Hyksos („dominatore terrae septentrionalis“) bellum gessit.

[1] Inscriptio Glas. 1083 (= Hal. 187 + 188 + 191) aetatis regis Ilijapi'a Rijâm est. De inscriptione Glas. 1302 in Barâḳiš inventa videas O. Weber, Eine neue minäische Inschrift (MVAG, VI [1901] 2).

[2] Madhaj si hîc secundum Graecorum usum loquendi (de quo videas Th. Nöldeke, Aufsätze zur persischen Geschichte 13. 147. Leipzig 1887) Persae intellegendi essent, regnum Minaeum non ante regnum Sabaeum florere poterat. „Darius Medus“ autem, cuius Dn 6, 1; 9, 1; 11, 1 mentio fit, hic certe afferendus non est, quia initio locis allatis aliud nomen in textu erat. B. Alfrink (Biblica IX, 1928, 316—340) „Darium Medum“ cum Astyage, rege Medorum, anno 550 a Cyro victo aequandum esse existimat. — H. Grimme (OLZ, XIII, 1910, 54—59) gentem Madhaj (מדי) cum Midianitis (מדין) aequat.

In inscriptionibus Glas. 1155 et 1083 nomine A'šûr regionem quandam Arabiae septentrionalis, ad finem terrae Edom sitam significari cum *M. J. Lagrange* (RB. XI, 1902, 265) negandum est. Nam in utraque inscriptione externa loca, ad quae mercatores Minaeorum progrediebantur, nominantur: in inscriptione 1155, 1 Miṣr, 'Ibr naharân, A'šûr; in inscriptione 1083, 9 Miṣr, Gaza, A'šûr. Locus extremus occidentem versus est Aegyptus (quae terra quin nomine Miṣr significetur, dubium non est), locus extremus septentriones et orientem versus est Assyria. Hîc cur parva quaedam regio Arabiae septentrionalis nominetur, non intellegitur.[1] Neque opinio in inscriptione Glas. 1155 nomine 'Ibr naharân (Akk. *Kib-ri nâri*) aliquam regionem Arabiae septentrionalis significari defendi potest. Nam cum in illa inscriptione Miṣr Aegyptum valere inter omnes constet atque haud sine iusta ratione ponatur nomen A'šûr Assyriam valere, cogitari non potest praeter Miṣr et A'šûr, ad quas terras mercatores Minaeorum processisse dicuntur, regionem Arabiae septentrionalis alioquin prorsus ignotam nominari. Quae cum ita sint, ut nominibus Miṣr et A'šûr, ita nomine quoque 'Ibr naharân maior terra significari necesse est. Neque dubitandum esse videtur, quin eo nomine terrae inter Aegyptum et Assyriam i. e. terrae ab Euphrate occidentem versus ad mare mediterraneum sitae significentur. Idem inscriptione Glas. 1083 commendatur, in qua et ipsa Miṣr et A'šûr nominantur, loco autem 'Ibr naharân Gaza, quae urbs portum maximum ad mare mediterraneum situm habebat. Prae-

terea pro ea sententia locus 1 Rg 5, 4 = Vulg. 4, 24 afferri potest, ubi Salomo imperium totius terrae *ʿêber han-nâhâr* (= ʿIbr naharân), quod nomen accuratius definitur verbis: „a Tipsach (Thapsacus in ripa occidentali Euphratis sita) usque ad Gaza“[2] tenuisse dicitur. Nomine igitur *ʿIbr naharân* = *ʿêber han-nâhâr* terrae inter Euphraten superiorem et oram maritimam Palaestinae ac Phoenices sitae significantur.[3]

[1] Gentem nomine *ʾAššûrîm* in Arabia septentrionali habitasse ex Gn 25, 3 apparet. Quare nonnulli viri docti (H. Gunkel, H. Winckler, F. Hommel) Gn 25, 18; Nm 24, 22. 24; Ps 83, 9, aliis locis nomen *ʾAššûr* terram, ubi illa gens habitavit, significare putant; eos autem locos biblicos, ubi eius terrae mentio fit, errore librariorum posterioris aetatis ad Assyriam translatos esse. Quod fieri potuisse concedendum est; factum autem esse adhuc demonstratum non est.

[2] Nonnulli verba „a Tipsach usque ad Gaza“ interpolata esse putant, quoniam in recensione Luciani desunt. Conferas N. Schlögl, Drittes und viertes Buch der Könige (Wien 1911) 29.

[3] Ceterum de vi nominum Miṣr, A'šûr, ʿIbr naharân videas M. J. Lagrange, La controverse minéo-sabéo-biblique (RB, XI, 1902, 256—272).

Adnotatio. — 1) In el-ʿOela et regionibus finitimis quadringentae quoque inscriptiones gentis Liḥjan, cuius Agatharchides primus mentionem facit, a J. Euting inventae a J. Halévy investigatae et explicatae sunt. Ut inscriptiones Minaeae ibi inventae, maximam partem fragmenta sunt. Earum scriptura ei, qua incolae Arabiae meridianae et Aethiopes utebantur, similis est, lingua autem est dialectus quaedam Arabum septentrionalium. Quos textus nonnulli viri docti (ut D. H. Müller) aetatis Christum antecedentis (sexti vel quinti a. Ch. n. saeculi) esse putant; alii autem (ut E. Glaser) iustis causis demonstrare videntur eos p. Ch. n. demum ortos esse, cum gens Liḥjan tertio demum p. Ch. n. saeculo (post annum 250) i. e. post Nabataeos aliquantum valuerit, quod tum viis mercandi per Arabiam septentrionalem ducentibus potita esset. Illud unum quidem constat eos aetate, quae Muhammed antecedit, ortos esse.

Inscriptiones Liḥjanicas unacum inscriptionibus Minaeorum septentrionalium ediderunt *D. H. Müller*, Epigraphische Denkmäler aus Arabien (Die minäischen Inschriften von el-ʿOela p. 21—58, nr. 1—73. Die liḥjanischen Inschriften von el-ʿOela p. 58—87, nr. 1—75), *J. H. Mordtmann*, Beiträge zur minäischen Epigraphik p. 1—63, nr. 1—73. *A. Jaussen* et *R. Savignac*, Mission archéologique en Arabie I. p. 250—270. Pl. 30. Inscriptions minéennes, nr. 1—5. Graffites liḥyanites, nr. 6—34; II. p. 236—362. Inscriptions minéennes, nr. 6—213. Inscriptions liḥyanites p. 363—534, nr. 35—384; RB, N. S. VI, 1909, 576—592; VII, 1910, 521—531; VIII, 1911, 554—561. *M. Lidzbarski*, Ephemeris für semitische Epigraphik III (Giessen 1915) 207—217. 267—279.

2) In Arabia et media et ad septentriones atque occasum spectante omnes fere saxorum parietes et maiores lapides parvis inscriptionibus contecti sunt, quarum adhuc plus duo milia transcripta sunt. Thamudenicae nominantur, quia in Ḳorân crebro gens quaedam ethnica hoc nomine appellatur (7, 71 ss; 11, 64 ss; 15, 80 ss; 26, 141 ss; 80, 8). Ceterum iam Sargon, rex Assyriorum, in inscriptione quadam, ubi

gloriatur, quod anno septimo regnans (i. e. anno a. Ch. n. 715) nonnullas tribus Arabicas vicerit et partes earum in Samariam traduxerit, Thamudenos nominat. Quos Plinius (6, 28, 157) et geographi Graeci magnam tribum Arabicam esse dicunt. Etiam circa annum p. Ch. n. 400 Thamudeni auxilia Romanis praebuerunt. Postea autem eorum nulla iam mentio fit. Ut Liḥjani, ita etiam Thamudeni initio in terra Jemen habitabant ibique a Minaeis (Sabaeis) litteras receperunt, quas etiam tum retinebant, cum in Arabia septentrionali consederant. Quia autem eorum inscriptiones imprimis in el-Ḥidschr i. e. prope coloniam Arabum meridianorum inventae sunt, ab ea quoque litteras assumpsisse possunt. Ceterum inscriptiones Thamudenicae diversorum temporum sunt atque non solum in Arabia septentrionali, sed etiam in regionibus finitimis atque in Aegypto (in Wâdi el-Hammamât) inveniuntur. Nonnullae autem inscriptiones aliis quoque locis, velut in paeninsula Sinaitica, inventae sunt. Ch. Doughty, Ch. Huber, J. Euting, A. Jaussen, R. Savignac multos ex iis textibus ediderunt. Conferas *E. Littmann,* Zur Entzifferung der thamudenischen Inschriften (MVAG, IX, 1) Berlin 1904. *M. Lidzbarski,* Altnordarabisches (Ephemeris für semitische Epigraphik II, 23—48. 345—379. Giessen 1908). *J. J. Hess,* Die Entzifferung der thamûdischen Inschriften. Paris 1911.

3) Ad inscriptiones Arabiae septentrionalis eae quoque pertinent, quae, cum in montibus Ṣafâ (a Damasco meridiem et orientem versus) inventae sint, Ṣafathenicae nominantur. Sunt breves inscriptiones in lapidibus et saxis incisae. Earum et scriptura et lingua inscriptionibus Thamudenicis similes sunt. J. Halévy, F. Praetorius, E. Littmann eas investigaverunt atque explicaverunt. Conferas *J. Halévy,* Essai sur les inscriptions du Safa (Journal asiatique, 7. série, tome 10. 1877, p. 293—450. tome 17. 1881, p. 44—83. 179—251. 289—314. tome 19. 1882, p. 461—508). *R. Dussaud* et *F. Macler,* Voyage archéologique au Safa (Paris 1901) I. Partie, p. 1—135. Pl. 1—17. Mission dans les régions désertiques de la Syrie moyenne (Paris 1903) II. Partie, p. 80—238. Pl. 8—31. *E. Littmann,* Zur Entzifferung der Ṣafâ-Inschriften. Leipzig 1901. Semitic inscriptions, Part IV of the publications of an American archeological expedition to Syria 1899—1900 (New York 1905) Chapter 5. p. 102—168. E. Littmann annis 1904 et 1905 alios quoque textus collegit, qui tamen, quod sciam, nondum editi sunt.

Inscriptionibus Liḥjanicis, Thamudenicis, Ṣafathenicis exceptis antiquissimum monumentum linguae Arabum septentrionalium est inscriptio sepulcri *Mar'alḳais ibn 'Amr* regis Arabici anno a. Ch. n. 328 confecta, quam R. Dussaud in en-Nemâra prope Damascum invenit atque edidit (Revue archéologique II, 1902, 409—421). Conferas *M. Lidzbarski,* Ephemeris für semitische Epigraphik II, 34.

c) Ut supra diximus, ad dialectum Minaeam linguae quoque Katabanica et Ḥadhramotica pertinent. Atque linguam Katabanorum dialecti Minaeae esse imprimis formis verbi causativis et suffixis tertiae personae efficitur. Continet autem nonnullos quoque Sabaismos, qui vocantur, velut suffixum הו pro ש et י in suffixo duali שמי (Sab. המי, Min. שמן). Secundum *F. Hommel* (EGAO 139) E. Glaser ex quarto itinere in Arabiam centum fere exemplaria inscriptionum Katabanica-

rum, quae inter annum a. Ch. n. millesimum et interitum regni Katabanorum (secundo a. Ch. n. saeculo) confectae sunt[1], in Europam attulit. In quibus duodeviginti fere nomina principum sacerdotalium et regum Katabanicorum commemorantur. Maxima inscriptio circiter quadringenta verba continet. Antequam eae inscriptiones inventae sunt, unum hoc constabat Śahr Jalil Juhargib, regem Katabanorum, aequalem regum Minaeorum Wiḫî-ilu Jathuʿ et (eius filii) Ilî-japiʿa Jašûr fuisse (Hal. 504).[2] Inscriptiones autem dialecto Ḥadhramotica confectae paucae inventae sunt. Memoratu digna est tabula quaedam aenea cum inscriptione octo linearum (Osiand. 29) nunc Londinii (in museo Britannico) servata, ubi urbs Šabwa (Šabwat) et deus lunae Sîn, summus deus regni Ḥadhramotici, commemorantur. E monogrammate tabulae aversae colligendum est regi, qui tum regnabat, nomen Saʿdî-Šams fuisse. Deus lunae Sîn etiam in inscriptione quadam in Ugrân (qui locus ab urbe Šibâm occidentem versus situs est) inventa commemoratur. Inscriptio quinque linearum ab A. de Wrede anno 1843 in Obne (al-Abnâ) inventa aetatis principis sacerdotalis Jarʿaš bin Abî-jasiʿ-a est. Utrum inscriptio Naḳab-al-Ḥagar, quae vocatur, originis Ḥadhramoticae an Katabanicae sit, diiudicari non potest. Inscriptio quoque Langer 14 (ZDMG, XXXVII, 1883, 392) cum nomine regis Idʿî-ilu Bajin, filii Rabbî-Šams, originis Ḥadhramoticae est. Idem fortasse in parvam inscriptionem in Ḥuṣn al-Ghurâb inventam, quam C. Landberg (Arabica IV, pl. IX) edidit, cadit. Dialecti Ḥadhramotitarum proprium est, quod *mô* pro *mâ* (quid) et articulus postpositus *hân* pro *ân* scribitur (velut in inscriptione Hal. 193, ubi duo reges Ḥadhramotitarum cognati regis Minaeorum Abî-jadiʿa Jathuʿ esse dicuntur: מחבדהן pro מחבדן).

[1] Finis regni Katabanorum hîc non recte definitur, quoniam post annum a. Ch. n. octogesimum demum interiit.

[2] Inscriptiones Katabanicae ex parte haud dubie primis saeculis primi a. Ch. n. millennii ortae sunt.

3. Maxima pars inscriptionum Arabum antiquorum dialecto Sabaeâ conscripta est. Atque antiquissimae inscriptiones Sabaeorum, in quibus eorum dominatores nondum reges, sed „principes sacerdotales“ se appellant, e primis saeculis primi a. Ch. n. millennii, si tardissime, e saeculo octavo, fortasse iam e saeculo nono vel decimo repetendae sunt. Eae autem inscriptiones Sabaeae, in quibus dominatores „reges Saba“ se appellant, inter septimum et secundum a. Ch. n. saeculum ortae esse videntur. In inscriptionibus „Neo-Sabaeis“ dominatores titulum „reges

Saba et Dhû-Raidân" vel „reges Saba et Dhû-Raidân et Ḥadhramaut et Jamanât" gerunt. Extrema inscriptio sexti p. Ch. n. saeculi est. E quibus inscriptionibus tantum eae, quae aetatis principum sacerdotalium et primorum regum regni Saba sunt atquae „antiquae Sabaeae" appellantur, in historia orientis antiqui aliquid auctoritatis habent. E. Glaser in tertio itinere in Arabiam suscepto in Mârib, capite Sabaeorum, quadringentas fere inscriptiones atque in Ṣirwâḥ inscriptionem principis sacerdotalis Kariba-ilu Watar (Glas. 1000, accuratius 998—1002), quae plus mille vocabula continet et ad historiam Sabaeorum atque geographiam Arabiae antiquae cognoscendam vehementer pertinet, transcripsit. Unde Sabaeos similiter terram Minaeorum expugnasse perspicimus atque Israelitae terram Canaan expugnaverunt. At ex nonnullorum opinione non constat neque quando ea inscriptio orta sit neque num victoriâ a Sabaeis ex Minaeis adeptâ interitus regni Ma'în effectus sit. Ex eo, quod Sabaei sero demum (circa annum a. Ch. n. 800) in Arabiam meridianam invaserunt, optime explicatur dialectum inscriptionum eorum inscriptionibus ceterorum regnorum Arabiae meridianae dissimilem esse.

Adnotatio. — Neque in terra 'Omân neque in Arabia ad septentriones et orientem vergente, quamquam ibi secundum W. G. Palgrave, L. Pelly, Barclay Raunkiaer pars terrae colitur, adhuc inscriptiones et ruinae aetatis Muhammed antecedentis inventae sunt.

4. Inscriptiones antiquorum Arabum vulgo a nomine eorum, qui eas invenerunt, appellantur. De earum investigatione et explicatione *G. Gesenius*[1], imprimis *E. Rödiger*[2] et *E. Osiander*[3] optime meriti sunt. Studio earum praeter alios J. Halévy, F. Praetorius, J. H. Mordtmann, D. H. Müller, H. Derenbourg et J. Derenbourg, E. Glaser, H. Winckler, M. Hartmann, O. Weber, H. Grimme, F. Hommel, D. Nielsen, N. Rhodokanakis operam dederunt.

[1] Über die Himjarische Sprache und Schrift. Halle 1841.

[2] Versuche über die Himjaritischen Schriftmonumente. Halle 1841.

[3] Zur himjarischen Altertums- und Sprachkunde (ZDMG, X, 1856, 17—23). Zur himjarischen Altertumskunde. Hrsg. von M. A. Levy (ib. XIX, 1865, 159—293: continet transcriptionem textuum in opere „Inscriptions in the Himyaritic character, discovered chiefly in the southern Arabia and now in the British museum" London 1863 editorum). Zur Himjarischen Sprach- und Altertumskunde. Hrsg. von M. A. Levy (ib. XX, 1866, 205—287).

Quo modo inscriptiones inventae et explicatae sint, F. Hommel in opere, quod inscribitur „Explorations in Arabia" (in *H. V. Hilprecht*, Explorations in Bible Lands

during the 19th century. Philadelphia 1903) breviter complexus est et quidem p. 704 s. 709 s. 717—724 de inscriptionibus inventis, p. 727—736 de inscriptionibus explicatis agit (cf. etiam EGAO 133—145). Collectionem inscriptionum antiquorum Arabum academia Parisiensis in „*Codice inscriptionum Semiticarum*“ edere coepit. Quarta eius pars inscriptiones Himjariticas et Sabaeas continet et quidem tomus 1, fasc. 1—4 (Parisiis 1889—1908) trecentas sexaginta duas inscriptiones Sabaeas urbis Ṣan'â et regionum finitimarum (Dhûrân, 'Amrân, Hamdân) cum transcriptione Hebraica et translatione Latina atque commentario; tom. 2, fasc. 1—4 (Parisiis 1911—1920) textus Sabaeos secundum nomina deorum digestos: fasc. 1. inscriptiones deo Ilmuḳah (nr. 363—412), fasc. 2. inscriptiones diis 'Athtar, Wadd, Haubas (nr. 413—491), fasc. 3. et 4. inscriptiones ceteris diis (nr. 492—595) dicatas. Tomus 3. collectionem textuum Minaeorum et Ḳatabanorum continebit.

Adnotatio. — Cum religione Muhammedanâ in Arabia meridiana divulgatâ dialecti Arabiae septentrionalis ibi in usum venire coeperint, in oris maritimis *Maḥra* et *Šeḥri* atque in insula *Soḳoṭra** dialecti quondam ubi usitatae permanserunt. Nonnullae quoque tribus in deserto el-Ruba' el-ḫalî habitantes linguâ, quam Arabes non intellegunt, loqui dicuntur. Quaeras igitur, illaene tribus etiam nunc dialecto Maḥra loquantur?

H. v. Maltzan, Über den Dialekt von Mahra, genannt Méhri, in Südarabien (ZDMG, XXV, 1871, 196—214. Videas etiam ib. XXVII, 1873, 225—231. 252—294: Dialektische Studien über das Méhri im Vergleich mit verwandten Mundarten). A. Jahn, Die Mehri-Sprache in Südarabien. Texte und Wörterbuch (Südarabische Expedition der Akademie der Wissenschaften, Bd. III) Wien 1902. Grammatik der Mehri-Sprache in Südarabien (Aus: Sitzungsberichte der Akademie der Wissenschaften) ib. 1905. D. H. Müller, Die Mehri- und Soqoṭri-Sprache. I. Texte (Südarabische Expedition. Bd. IV) 1902; Soqoṭri-Texte (ib. Bd. VI) 1905. C. v. Landberg, Die Mehri-Sprache in Südarabien von A. Jahn und die Mehri- und Soqoṭri-Sprache von D. H. Müller kritisch beleuchtet. I. Die arabischen Texte. Leipzig 1902.

VII

De regnis in Arabia meridiana conditis

Secundum *Eratosthenem* (apud Strab. 16, 4, 2) Arabiam meridianam quattuor gentes incolebant: Μειναῖοι ad mare rubrum cum capite (πόλει τῇ μεγίστῃ) Κάρνα[1]; ab iis meridiem versus Σαβαῖοι cum capite (μητροπόλει) Μαρίαβα; a Sabaeis meridiem versus Χατραμωτῖται cum urbe (πόλει) Χαβάτανον; a Sabaeis meridiem et meridiem atque occi-

* Insula Soḳoṭra circiter 250 km a promunturio Guardafui et circiter 350 km a promunturio Fartak distat. Nomen Soḳoṭra (apud Graecos Διοσκουρίδου νῆσος Peripl. mar. Erythr. 30) e lingua Indica ducitur: *dvîpa sukhatara* = insula felix (E. Glaser, Skizze II, 182 s.). Conferas Paulys REclAW², 1. Reihe, 11. Halbband (Stuttgart 1907) 891 s.

dentem versus usque ad fretum inter Arabiam et Africam (Bâb el-Mandeb) Καταβανεῖς cum urbe regia (βασιλείῳ) Τάμνα. Quae urbes omnes a principibus, penes quos summa rerum omnium erat, regebantur (μοναρχοῦνται), divitiis florebant, templis domibusque regiis ornatae erant.[2]

[1] Aut antiquum regnum Minaeorum quondam usque ad mare rubrum patebat aut regio inter Dschôf et mare rubrum sita aetate Eratosthenis, qua iam pridem sub imperio Sabaeorum erat, a posteris antiquorum Minaeorum incolebatur. Certe eo, quod Minaei ad mare rubrum habitabant, Sabaeos quoque ibi habitasse negandum non est. Illud quoque memoratu dignum est urbem Karna πόλιν μεγίστην, non μητρόπολιν vel βασίλειον nominari.

[2] H. Berger, Die geographischen Fragmente des Eratosthenes 289 s.

Is locus propterea magni est momenti, quod in litteris Graecis antiquissimus omnium est, e quibus de situ quattuor regnorum Arabiae meridianae accurate cognoscimus. Iure igitur a *F. Hommel* (EGAO 137) „antiquorum de Arabia meridiana locus classicus“ nominatur. Eodem loco ii quoque, qui regnum Minaeorum ante regnum Sabaeorum exstitisse negant et illa regna eodem tempore fuisse dicunt, maxime innituntur. Vix enim ponendum esse Eratosthenem vel errasse vel antiquiores auctores exscripsisse. Quamquam regnum Minaeorum, cum in nulla de Aelii Galli expeditione narratione eius mentio fiat, quod casu factum esse vix possit, iam haud diu mansisse iudicandum esse. De qua re infra dicemus.

Ceterum iam *Theophrastus* (Hist. plant. 9, 4, 2) quattuor regna Arabiae meridianae commemorat eaque nominibus Σαβά, Ἀδραμύτα, Κιτίβαινα (var. Κατάβαινα), Μαμάλι (var. Μάλι) significat. Quem locum si cum Eratosthenis enumeratione gentium Arabicarum compares, reperias earum tres (Sabaeos, Ḥadhramotitas, Katabanos) ab utroque scriptore commemorari, cum quarta gens a Theophrasto Μαμάλι, ab Eratosthene Μειναῖοι nominetur. Sunt, qui existiment Μαμαλι pro Μαιναια = Minaea falso scriptum esse*. *Plinius* quoque easdem quattuor gentes, quas Eratosthenes commemorat, paeninsulam Arabicam incolere dicit: praeter Sabaeos et Minaeos (6, 28, 154. 155. 157. 161; 12, 13, 52. 54) Katabanos (Cattabanes 5, 11, 65. Catapanos 6, 28, 153) atque incolas regionis Ḥadhramût (Atramitas 6, 28, 155; 12, 13, 52. Chatramotitas 6, 28, 154. 161).

* A. Sprenger (Die alte Geographie Arabiens 92. 263) Μαλι cum Mahra aequat.

Praeter quattuor illa regna Arabiae meridianae aliae quoque res publicae minores fuerunt (velut regnum Ausân), quarum rarius mentio fit. Saepius etiam reges urbium commemorantur (ut in inscriptione Ṣirwâḥ reges urbium in Dschôf Arabiae meridianae sitarum Našân, Kaminahû, Harîm).

De regno Minaeorum

Videas D. H. Müller, Die Burgen und Schlösser Südarabiens II (Wien 1881) 60—68. J. H. Mordtmann, Zur südarabischen Altertumskunde III (ZDMG. XLVII, 1893, 407—417: Die Könige von Me'în). O. Weber, Bemerkungen zur minäischen Königsliste (MVAG, VI, 1 [1901] 44—60). M. Hartmann, Die arabische Frage mit einem Versuche der Archäologie Jemens (Der islamische Orient. Berichte und Forschungen II) 126—132. Leipzig 1909. D. Nielsen, Handbuch I, 66—75: Das minäische Reich.

1. Nomen Arabicum gentis Minaeorum eorumque terrae, id quod et scripturâ Hamdânî geographi et hodiernâ pronuntiatione efficitur, מעין, *Ma'în (Me'în)* sonat. Cui forma Μειναῖοι, quae in pluribus libris manu scriptis Eratosthenis (apud Strab. 16, 4, 2) invenitur, respondet. Formam igitur Μιναῖοι vel Μιννaῖοι, quae apud Ptolemaeum, Diodorum Siculum, Dionysium Periegeten, Stephanum Byzantinum, alios rerum scriptores invenitur atque nomini quoque Latino „Minaei" subest, recte se habere negandum est. LXX quoque interpretes verba Hebraica *benê Me'ûnîm* praeter formam Μιναῖοι formâ Μειναῖοι et (υἱοὶ) Μεῖνων (Μεείνω) reddiderunt. Nihilo minus formam „Minaei" retinemus, quoniam hodie vulgo usurpant.

F. Hommel (AiÜ 76. EGAO 134. n. 2 et 550) nomen Arabicum antiquis temporibus non *Ma'în*, sed *Ma'ân*, cui Akkadicum *Magan* et Hebraicum *Mâ'ôn* respondeat, sonuisse contendit. — H. Grimme (Die weltgeschichtliche Bedeutung Arabiens 17 a) perperam dubitat, num Μιναῖοι Graecorum cum Ma'ân inscriptionum Arabicarum aequandi sint, propterea quod Ma'ân ex compluribus causis potius Μανῖται, quorum Ptolemaeus 6, 7, 23 mentionem facit, intellegendi sint.

Arabia a multis viris doctis patria gentium Semiticarum habetur.[1] Atque quattuor migrationibus eius incolae per terras Asiae anterioris se diffuderunt. Prima migratio, qua Semitae usque in montes Persidis progressi sunt ibique regna Gutium et Lulubum condiderunt, *Babylonia* (circiter 3500 a. Ch. n.), secunda *Canaanaea* vel *Amoritica* (circiter 2500), tertia *Aramaica* (circiter 1500), quarta *Arabica* (circiter 900) appellatur[2]. Secunda autem migratione non solum gentes Semiticae, quas ex historia cognovimus, in Babyloniam aliasque terras Asiae anterioris venerunt,

sed tum Minaei quoque ac Ḥadhramotitae et Katabani iis cognati eam partem paeninsulae Arabicae, quae ad meridiem occidentemque vergit, occupaverunt. Et quidem ex ora sinus Persici, quae in septentriones orientemque spectat, emigrasse videntur i. e. ex ea terra, quae in inscriptionibus veterum Babyloniorum (regum Gudea et Narâm-Sin) Magan appellatur, ubi Minaei auctoritati cultus atque humanitatis Babyloniorum obnoxii erant, cuius vestigia apud eos cum in aliis rebus tum in religione offenduntur.

[1] Prima patria Semitarum ubi quaerenda sit, vix unquam pro certo reperiri poterit. Viri linguarum periti haud multum ad id conferre possunt. Si autem respicimus ne temporibus quidem historicorum fide contestatis nomades desertorum Arabiae in Mesopotamiam et Syriam se effundere desisse, verisimile fit Arabiam, unde Semitae quoque Abessiniae profecti sunt, Semitarum patriam fuisse. Unde vero Semitae temporibus historiam antecedentibus in Arabiam venerint, dici non potest.

[2] J. Benzinger, Hebräische Archäologie[3] (Leipzig 1927) 43—45.

2. Regnum Minaeorum in Arabia meridiana *(Dschôf)* situm compluribus gentibus coniunctis conditum esse verisimile est. A regibus gubernabatur, quorum viginti duo nomina ex inscriptionibus cognoscimus, praeterea sex nomina, quae et ipsa nomina regum esse videntur, in summa duodetriginta nomina, ut regnum Minaeorum circiter ($28 \times 25 =$) septingentos annos (1400—700 a. Ch. n.) durasse necesse sit. Cum autem iam quarto decimo a. Ch. n. saeculo valde floreret, id regnum multo ante, circiter duobus milibus annorum a. Ch. n. conditum esse existimandum est. Idem similitudine nominum regum Minaeorum et regum primae domus regnatricis Babyloniorum (2057—1758) commendatur: Sumu-abi = Sumhuabi, Ammi-zaduga = Ammi-zadoḳ, Abi-êšuḫ = Abî-jathu'; conferas etiam 'Abîdâ' (filius Midian, Gn 25, 4; 1 Chr 1, 33) = Abî-jadi'a (nomen regis Minaeorum).

Regibus Minaeorum (Sabaeorum, Katabanorum, probabiliter etiam Ḥadhramotitarum) cognomina imponebantur; apud Minaeos: *Jathu'* = liberator, σωτήρ; *Ṣaduḳ* = iustus, δίκαιος; *Rijâm* = maiestas; *Nabaṭ* = illustris, ἐπιφανής; *Waḳih* = imperans; *Japîš* = superbus (?); *Jašir* sive *Jašur* = sincerus, verus; apud Sabaeos et Katabanos: *Watar* = eminens; *Bajin* = splendens etc. Ceterum regum Ma'în, quorum in inscriptionibus mentio fit, duo sunt genera: unum, qui inter se cognati, alterum, qui inter se alieni sunt. Atque unâ cum rege apud Minaeos (et Katabanos) etiam delecti quidam ex populo, quibus nomen *mśwd (miśwad)* erat, leges dabant (cf. Glas. 1571).

Antiquum caput regni Minaeorum erat *Ḳarnâwu, Ḳarnâ'u, Ḳarnû* (in inscriptionibus *Ḳrnw*), apud Eratosthenem Κάρνα, apud Plinium *Carnon,* hodie ruinae *Me'în.* Magni quoque momenti erant urbes *Jathil* (ruinae Barâḳiš), *Našḳ,* apud Plinium *Nascus* et *Nesca* (al-Baidhâ), *Harîm* (Medinet Haram), *Kamnâ* (in inscriptionibus *Kmnhw* = Kaminahû), *Našân* (ruinae as-Saudâ).

3. Reges regni Ma'în non modo in Arabia meridiana regnaverunt et cum populis finitimis magnum commercium habuerunt, sed etiam in Arabia, quae inter septentriones et occasum solis spectat, coloniam condiderunt, quae in inscriptionibus מעין מצרן, *Ma'ân Muṣrân,* in sacris litteris *Midian,* in textibus cuneiformibus *Muṣri* appellatur. Caput huius provinciae erat Ma'ân in septentrionali eius parte sita, quae urbs etiam hodie id nomen gerit, cum Waga' (ad mare rubrum) provinciae finem ad occidentem, el-'Oela (ubi J. Euting inscriptiones Minaeas invenit) eius finem ad orientem, Jathrib (Medîna) eius finem ad meridiem vergentem significasse videatur.

a) Provincia Ma'ân Muṣrân haud dubie eadem est terra, quae in vetere testamento Midian nominatur. Id primum inde cognoscimus, quod LXX interpretes Jdc 10, 12 pro Hebraico Mâ'ôn (i. e. Ma'ân) Μαδιάμ posuerunt; deinde ex iis, quae in historia Joseph Gn 37, 25—36 de Midianitis narrantur; denique ex traditione Hebraica, qua rex Abîjadi'a filius Midian appellatur ('Abîdâ' Gn 25, 4. 1 Chr 1, 33).* Praeterea respiciendum est prope finem meridianum sinus Aelanitici, in eius parte ad orientem vergente, prope Maknâ locus nomine *Madjân* situm fuisse.[1] Apud Ptolemaeum in eadem regione commemorantur urbes Μοδίανα ἡ Μοδοῦνα (6, 7, 2) et Μαδίαμα ab illa inter septentriones et orientem sita (6, 7, 27).[2] Conferas etiam Onomasticon[3]: „Madiam urbs est trans Arabiam ad meridiem in deserto Saracenorum contra orientem maris rubri, unde vocantur Madianaei et Madianaea regio" (Eusebius: ὅθεν καλοῦνται Μαδιαναῖοι καὶ ἡ νῦν καλουμένη Μαδιανή). Geographi quoque Arabici Idrîsî et Abulfeda locum *Madjân* quinque dierum iter ab Elath meridiem versus in litore maris situm noverunt.[4] Secundum Jâḳût (Mu'dscham al-buldân 4, 451) locus *Madjân* sex dierum iter a Tabûk distabat. Alio loco (ib. 3, 537) Jâḳût locum

*Abî-jadi'a (cum cognomine Jathu') rex potens fuisse videtur. Nam non modo multae eius inscriptiones exstant, sed etiam cum regionibus Ḳatabân et Ḥadhramût ei rationes quasdam fuisse constat.

nomine *Madjân* „prope Aegyptum“ commemorat, qui alius locus nomine *Madjân* intellegendus esse videtur. Ad Madjân, qui ad sinum Aelaniticum situs erat, secundum scriptores Arabicos Moses et Jithrô commorati sunt. Ibi Moses greges Šu'aib (= Jithrô) pavisse dicitur et Jâḳût (ib. 4, 451) fontis quoque, ad quem Moses greges ducebat, mentionem facit. Quae cum ita sint, dubium non est, quin in illa regione locus nomine Madjân fuerit. Inde id quoque intellegitur Arabes, qui cum Mosen in numero prophetarum suorum ponant, eius historiam eo transtulisse.[5]

[1] R. F. Burton, The gold-mines of Midian and the ruined Midianite cities 331.

[2] R. F. Burton urbem Μαδίαμα in ruinis *Maghâ'ir Šu'aib* (= speluncae Jithrô) quaerit, cum nomen Μοδίανα vel Μοδοῦνα similiter sonans loco cuidam longius meridiem versus (ab Ὄννη = *'Ainûna* meridiem versus) sito tribuat. Speluncae illae Jithrô sunt sepulcra, quae sepulcris urbis Petra similia sunt, ut dubitari non possit, quin a Nabataeis facta sint.

[3] Ed. E. Klostermann 124, 8. Leipzig 1904.

[4] Idrîsî, ed. P. A. Jaubert I, 5. 328. 333. Abulfeda, ed. C. Rommel p. 77.

[5] Secundum Jos. AJ 6, 7. 3 (§ 140) Saul totam terram a Pelusio usque ad mare rubrum sitam expugnat et solis Sikimitis (= Kenitis?) parcit, qui inter medios Midianitas habitabant, ut terra Midian inter Pelusium et mare rubrum sita sit. Secundum AJ 2, 11. 1 (§ 257) Moses ex Aegypto in urbem Μαδιηνήν ad mare rubrum sitam fugit, ut Josephus ibi de alia terra nomine Midian cogitare videatur. Cum autem ib. 2, 11. 2 (§ 259) homines ibi troglodytarum more vixisse dicat, verisimile est eum de terra Edom cogitare.

In terra Midian haud dubie complura loca maioris momenti sita erant, quorum nomina ad nostram aetatem non pervenerunt. Verba *Madâin-Ṣâliḥ* i. e. „urbes (plur. vocabuli *medînat*) Ṣâliḥ“ initio totam regionem significare videntur.[1] Terra Midian metallis quoque abundabat, cuius rei multa vestigia fodinarum etiam nunc testimonia sunt.[2] Qui hodie terram Midian (Arab. *ardh madjân*) incolunt, eam ab el-'Aḳaba (= Elath) usque ad parvum castellum maritimum el-Muwêliḥ et Wâdi es-Surr, qui ex interiore terra profluit, porrigi dicunt. Quam terram iam Ex 2, 15 intellegendam esse etsi demonstrari non potest, tamen verisimile est eam antiquum nomen servasse.[3]

[1] F. Hommel, EGAO 606.

[2] Conferas R. F. Burton, Report upon the minerals of Midian. London 1879.

[3] R. F. Burton terram a Wâdi es-Surr meridiem versus usque ad Wâdi Ḥamdh pertinentem Midian meridianam nominat. Midian septentrionalis 200 km, meridiana 194.8 km longa est. Terra septentrionalis 44.5—65 km, meridiana bis fere tantum in latitudinem patet.

Adnotatio. — R. Kittel (Geschichte des Volkes Israel I,[6] 347 s. Stuttgart-Gotha 1923) biblicam terram Midian ab Arabica discernit. Atque biblicam terram Midian „in regione inter Palaestinam et hodiernum Sinai sita, probabiliter haud procul a Kades et Paran[s] quaerit. Quod ex locis 1 Rg 11, 15 ss. et Jdc 6, 1 s. 33; 7, 12; 8, 4 ss. demonstrare studet. Ex aliis autem locis veteris testamenti nihil certi concludi posse. Quod autem Midian unâ cum aliis tribubus Arabicis a Ketura ducatur (Gn 25, 1—4), nihil aliud dici nisi Midian in Beduinis numerandum esse. — At si terra Midian ibi sita fuisset, eius in narratione de Israelitarum migratione in deserto haud dubie mentio facta esset. Ad hoc Midianitae Gn 25, 6 incolae „terrae orientalis" nominantur, quae certe non meridiem versus a Palaestina quaerenda est. Quae cum ita sint, nihil est, cur duas illas terras Midian fuisse existimes. Quamquam fieri potest, ut Midianitae extra terram suam quoque passim vagati sint.

b) Midian igitur nihil aliud est nisi provincia Minaeorum nomine Maʿân Muṣrân in Arabia ad septentriones et occidentem vergente sita eaque in illa regione, quae in inscriptionibus Assyriorum octavi et septimi saeculi nomine Muṣri appellatur. Quodsi in iis non modo de rege quodam terrae Meluḫḫa, sed etiam de rege quodam terrae Muṣri, cuius fines a meridie fines regis Meluḫḫa attingunt et sub eius dicione sunt, sermo est, si porro inscriptiones a J. Euting in el-ʿOela inventae ad posterius tempus pertinere non possunt, sequitur, ut rex terrae Meluḫḫa dominus summam imperii obtinens i. e. rex regni Maʿîn, rex autem terrae Muṣri princeps, qui in eius dicione erat, existimandus sit. Cum igitur nomen Maʿîn populum in Arabia meridiana regnantem significet, Midian populus in Arabia ad septentriones et occidentem vergente habitans intellegendus est i. e. is populus, qui terram ab Assyriis Muṣri nominatam incolebat, et rex terrae Muṣri est rex Midianitarum ibi habitantium.

In textibus cuneiformibus Assyriorum saeculi octavi et septimi nomine Muṣri Aegyptus significari dicitur. *H. Winckler* autem ex iis ipsis, quae de rebus gestis et de terris in textibus illis memoriae produntur, effecit saepe nomen Muṣri non Aegyptum intellegendum esse, sed regionem eius nominis in Arabia ad septentriones et occidentem vergente sitam.[1] Quod inscriptione Glas. 1155 confirmatur, quoniam ibi nomina *Muṣrân* et *Miṣr* (= Aegyptus) inveniuntur. Quod autem H. Winckler etiam in inscriptione quadam, quae aetatis regis Asarhaddon (680—669) esse videtur, *(mâtu) Mu-uṣ-ri* et *(mâtu) Mi-iṣ-(ri)* commemorari putat, id non satis constat. Illud quidem demonstratum est in Arabia ad septentriones et occidentem vergente regionem quandam nomine Muṣri (F. Hommel legit *Muṣur* vel *Moṣar*) sitam fuisse. Ex inscriptione Glas. 1155 aliisque inscriptionibus praeterea apparet

illam regionem provinciam regni Minaeorum fuisse atque a praefecto aliquo (כבר, *kabîr* = magnus vel antiquus) administratam esse. Quod non solum ipso eius nomine Muṣrân demonstratur[2], sed etiam inscriptionibus in el-ʿOela inventis confirmatur. Illa autem regio, quamquam accurate dici non potest, quatenus porrecta fuerit, tamen dubium non est, quin pars terrae Meluḫḫa fuerit. F. Hommel nomen Muṣri oram maritimam inter Leukekome et el-ʿAḳaba sitam i. e. eam regionem, quae in sacris litteris Midian appellatur, significare existimat. Muṣri igitur nomen eius regionis est, quam scriptores biblici Midian appellabant.[3]

[1] H. Winckler, Das nordarabische Land Muṣri in den Inschriften und in der Bibel (AoF I, 24—41. Leipzig 1893). Muṣri, Meluḫḫa, Maʿîn (MVAG. III [1898] 1 et 4). Arabisches Muṣri (ib. XI, 1 [1906] 102—116). Praeterea videas F. Hommel, Vier neue arabische Landschaftsnamen im AT. München 1901.

[2] Nomen מצרן, *Muṣrân* proprie appellativum est, quod regionem confinem valet. Nomina autem appellativa in lingua Minaea cum articulo (postposito — *ân*) coniunguntur. Procedente vero tempore e nomine appellativo nomen proprium factum est, ut articulus omitteretur. Quare nomina Muṣrân et מצר, *Mṣr* eandem regionem significare existimandum est. Conferas H. Grimme in OLZ, XIII, 1910, 58.

[3] Ceterum sunt, qui regionem Musri eandem esse ac regionem Midian adhuc minime constare existiment.

c) Provinciam Maʿân Muṣrân minimum sub sedecim antiquioribus regibus Minaeorum i. e. per ducentos quinquaginta aut trecentos annos partem regni Maʿîn fuisse inscriptionibus illis Minaeis a J. Euting in regione inter Petra et Medîna sita inventis, quae exeuntis secundi a. Ch. n. millennii sunt, constat. Postea, octavo saeculo, a quo tempore Assyrii sub regibus Tiglat-Pileser III, Sargon II, Asarhaddon totam Arabiam septentrionalem subigere coeperunt, provinciae Maʿân Muṣrân cum regno Maʿîn coniunctio magis magisque laxata ac postremo soluta est. Quae cum ita sint, eam provinciam a saeculo duodecimo usque ad saeculum nonum partem regni Maʿîn fuisse iudicandum est, quae res ad quaestionem, quo tempore regnum Maʿîn fuerit, persolvendam magni est momenti. Item ex textibus cuneiformibus Assyriorum saeculi octavi provinciam Maʿân Muṣrân (= Muṣri) tum iam non partem regni Maʿîn fuisse apparet. Nam si Tiglat-Pileser III Idibiʾil praefectum (nomine *ḳêpu* ornatum, cf. KAT 170 s.) in terra Muṣri instituit, Minaei ibi iam non dominabantur. Idibiʾil autem imperium Assyriorum excutere conari non destitit; quare modo cum Ḫanunu (Hanno), rege urbis Gaza, modo cum Hosea, rege Israelitarum, se coniunxit. Pirʾu quoque, qui aetate regis Sargon II „rex Muṣri“ esse dicitur et contra Assyrios

rebellavit, brevi se subicere coactus est. A medio saeculo septimo fines, qui ad id tempus „regis Muṣri“ fuerant, iis populis, qui in inscriptionibus regis Assurbanipal *Ḳidri* sive *Ḳadri* (= Ḳêdâr) et *Nabajâti* (= Nebâjôth) nominantur, obtigerunt. Ii postea a *Salamiis* pulsi sunt, qui et ipsi priore parte secundi a. Ch. n. saeculi a Nabataeis subacti sunt.

De Salamiis *Stephanus Byzantinus* (Thes. ling. Graec. s. v.) dicit: Σαλάμιοι ἔθνος Ἀράβων, σάλαμα δὲ ἡ εἰρήνη, ὠνομάσθησαν δὲ ἀπὸ τοῦ ἔνσπονδοι γενέσθαι τοῖς Ναβαταίοις. Salamii in inscriptionibus quoque Nabataeorum commemorantur: sacrarium dei Dûsarâ „sacrarium apud Nabataeos et Salamios“ nominatur. Item in Targumim saepius Salamiorum mentio fit, ubi pro Kenitis textus biblici nominantur (Gn 15, 19; Nm 24, 21 s; 1 Sm 15, 6). Ceterum videas H. Winckler, AoF I, 2 (Leipzig 1894) 196; II, 3 (1901) 545—553. KAT 151 s. F. Hommel. EGAO 593.

4. Alia provincia Minaeorum, quae in Arabia inter septentriones et occasum solis spectante sita erat, Dedân[1] existimanda esse videtur. Quae regio ubi quaerenda sit, accuratius definire difficile est. Ex locis Jes 21, 13; Jer 25, 23; 49, 8; Ez 27, 15; 38, 13 unum hoc efficitur eam in Arabia septentrionali quaerendam esse. Paulo plus e loco Ez 25, 13, ubi propheta fore, ut terra Edom „a Thêmân usque ad Dedân“ vastetur, praedicit, cognoscimus; nam cum Thêmân in parte terrae Edom inter septentriones et orientem spectante (a Dhâna orientem atque a Buṣêra [= Boṣrâ veteris testamenti] meridiem et orientem versus) sita esset[2] et verba „a Thêmân usque ad Dedân“ vix regionem ab oriente ad occidentem, sed a septentrionibus ad meridiem versus significent, Dedân haud dubie in septentrionali parte regionis Midian quaerenda est. Cum ea re congruit, quod secundum Jâḳût (Mu'dscham al-buldân 2, 639) in eadem regione „urbs pulchra“ *(madîna ḥasana)* nomine *ad-Daidân* sita erat. Eandemque regionem Dedân in inscriptione quoque regis Mesa (lin. 31) intellegas, si ibi בן דדן ודדן (= *filius Dedan. Dedan autem*) recte legitur.[3] Neque vero inscriptiones Minaeae a J. Euting in el-'Oela inventae neglegendae sunt, ex quibus Dedân urbs fuisse videtur.[4] Atque A. Jaussen et R. Savignac inscriptionem quandam Minaeam invenerunt, qua Dedân prope el-'Oela sitam fuisse demonstratur.[5]

[1] Δαιδάν LXX Jes 21, 13; Jer 25, 23; 49, 8; Ez 27, 20; 38, 13. Theod. Jes 21, 13. Δαδδάν Aqu. Theod. Symm. Ez 27, 15 (20). Δαδάν, Dadan LXX et Vulg. Gn 10, 7. Δεδάν LXX Gn 25, 3; 1 Chr 1, 32. Interpres Syrus nomen Dedân omnibus locis nomine *Doron* reddit. In qua pronuntiatione *a* in *o* et *d* in *r* transiit, quod posterius saepius etiam in lingua Latina invenitur. Romanos quidem priscae aetatis, ut Catonem Maiorem, nonnunquam *ar* pro *ad*, v. c. *arfuisse* pro *adfuisse, arvehere* pro *advehere* pronuntiasse accepimus. Praeterea formam *meridies* e *medidies* profectam esse constat.

[2] A. Musil (Arabia Petraea II, 1, 158 [adn. ad p. 32] Wien 1907) locum ruinarum *at-Twâne,* qui etiam nunc vestigia coloniae militaris Romanorum habet, cum Thêmân aequat.

Ceterum a Thêmân distinguatur necesse est *Thêmâ,* quod nomen tribum Israeliticam et regionem in Arabia septentrionali sitam significat (Gn 25, 15; Jes 21, 14; Jer 25, 23; Job 6, 19; 1 Chr 1, 30). Cui regioni apud geographos Arabicos respondet *Taima,* hodie *Teimâ* a Medîna septentriones atque a Dumat el-Dschendel meridiem versus sita.

[3] Secundum M. Lidzbarski, (Ephemeris für semitische Epigraphik I, 9. Giessen 1902) lectio בן דדן ודדן recte se habere non potest; בתיוק legendum esse videri.

[4] J. H. Mordtmann, Beiträge zur minäischen Epigraphik nr. XIII, 2: „Templum (dei) Wadd in Dedân"; XI, 8: „Kebîr (terrae) Ma'ân in Ded[ân]".

[5] RB, N. S. VII, 1910, 521—531. Videas etiam Mission archéologique en Arabie II, 283.

Ceterum duae gentes nomine Dedân distinguendae sunt: Dedanîm a Dedân, filio Ra'mâ, oriundi (Gn 10, 7 = 1 Chr 1, 9), qui in litore insulisque sinus Persici habitabant et commeatus mercium in Palaestinam et Syriam misisse videntur, imprimis ebur et ebenum (Ez 27, 15), quas res veteres partim ex India, partim ex Aethiopia accipiebant; Dedanîm, qui a Ketura originem ducebant (Gn 25, 3 = 1 Chr 1, 32), Edomitis vicini erant et mercaturam exercebant (Jes 21, 13; Jer 25, 23; 49, 8; Ez 25, 13; 27, 20; 28, 13).[1] Cum utraque gens nomine Dedân Gn 10, 7 et 25, 3 cum Šebâ' coniungatur, sunt qui existiment omnibus locis biblicis allatis unam eandemque gentem ex posteris Kusch et Abraham mixtam intellegendam esse. Quod haud dubie probari potest, si unam gentem pro colonia alterius habendam esse vel fines eius a sinu Persico usque ad terram Edomitarum patuisse ponimus.[2] Onkelos (ad Gn 25, 3) Dedanitas partim nomades, partim insularum incolas appellat. Post exsilium Babylonium eorum nulla iam mentio fit, quod ita explicandum esse videtur, ut Gerrhaei eos paulatim sedibus moverent. Neque geographi et rerum scriptores Arabici quidquam de iis memoriae prodiderunt. Vestigia autem eorum et in ora (Plin. 6, 28, 148: „regio Attene" i. e. דדן cum א prosthetico) et in insulis sinus Persici (velut in nomine insulae *Daden,* apud Syros *Dirin*) permanserunt.[3] Nomen quoque Μαγινδάνατα vel Ματίντανα (Ptolem. 6, 7, 16) eorum nomen referre videtur.

[1] Caput Dedanîm Keturâ oriundorum prope Phunon (Nm 33, 42. hodie Fenân circiter 30 km a Petra septentriones et occidentem versus distans) situm erat.

[2] G. Gesenius, Thes. 322 a. F. C. Movers, Die Phönizier II, 3 (Berlin 1856) 303 s.

[3] A. Sprenger, Die alte Geographie Arabiens 109—122: Die arabischen Inseln im persischen Meerbusen.

5. a) In vetere testamento saepius de proeliis Israelitarum cum *meʿûnîm* commissis agitur, quo vocabulo Minaei significari videntur, quippe cum in textu LXX interpretum Μιναῖοι nominentur: regnante Josaphat (2 Chr 20, 1: καὶ μετ' αὐτῶν ἐκ τῶν Μιναίων, ubi igitur LXX interpretes *me-ham-meʿûnîm* pro *me-hâ-ʿammônîm* legerunt), regnante Azarja (2 Chr 26, 7)[1], regnante Hizkija (1 Chr 4, 41 Qerê).[2] Conferas etiam Job 2, 11; 11, 1; 20, 1; 42, 9, ubi pro *naʿamôtî* vocabulum Μιναῖος vel Μειναῖος positum est.[3] Eius gentis homines (i. e. posteri *meʿûnîm* bello captorum) quin locis quoque Esr 2, 50 = Neh 7, 52 commemorentur, dubium vix est. Neque obstat, quod ex nonnullis locis allatis apparere videtur *meʿûnîm* terram Edom habitavisse; nam inscriptiones Minaeae (id quod iam supra diximus) etiam in Arabia, quae inter septentriones et occasum solis spectat, inventae sunt, ubi Minaei coloniam (Maʿân Muṣrân) iuxta Edom habebant. *Meʿûnîm* nomen haud dubie ab urbe *Mâʿôn* (hodie *Maʿân*) a Petra meridiem et orientem versus sita acceperunt. 2 Chr 20, 22 s. „habitatores Sêʿîr" appellantur. Quare existimare possumus eos fastigium orientale montium Sêʿîr atque planitiem confinem incoluisse, urbem autem Mâʿôn caput habuisse.[4]

[1] Loco 2 Chr 26 secundum Vulgatam v. 7 et 8, secundum textum masorethicum v. 8 de Ammonitis sermo est, unde ab Azarja, rege Juda, Ammonitas victos esse eique stipendium solvisse appareret. At cum Ammonitae regno Israel stipendiarii et a regno Juda terrâ Moabitarum separati essent, praeterea in textu LXX interpretum utroque versu Μιναῖοι, in textu masorethico v. 7 *meʿûnîm* scriptum legatur, dubium non est, quin initio utroque versu de *meʿûnîm* sermo fuerit, praesertim cum in textu masorethico loco quoque 2 Chr 20, 1 *ʿammônîm* et *meʿûnîm* commutati sint.

[2] Mirum est, quod locis Chr allatis de rebus gestis agitur, quae in libris Rg memoriae non produntur. Unde efficitur scriptorem librorum Chr e fontibus antiquis, quos scriptor librorum Rg in suam rem non convertit, fortasse ne cognovit quidem, hausisse.

[3] At respiciendum est LXX interpretes nomina propria nonnunquam falso reddidisse. Velut Dt 2, 23 Καππάδοκες pro Kaphtorîm posuerunt.

[4] Ex nonnullorum opinione illud quoque existimare possumus „habitatores Sêʿîr" tribum Edomiticam fuisse, quae ibi consederat.

b) Omnibus quoque locis biblicis, ubi de Midianitis[1] agitur, qui modo Ismaelitis adnumerantur (Gn 37, 28. 36. cf. v. 25., Jdc 7, 12; 8, 22. cf. v. 24), modo ab iis distinguuntur (Gn 25, 2—4. cf. v. 12—18), de Minaeis cogitandum est, quippe cum nomen Midianitarum nihil aliud esse videatur nisi appellatio Minaeorum apud Israelitas usitata.[2] Quod his rebus comprobatur: Primum quae in historia Joseph de Midianitis (Ismaelitis) narrantur (Gn 37, 25. 28. 36), in solos Minaeos

quadrant, qui iam ab antiquissimis temporibus magnum commercium cum gentibus finitimis habebant. Deinde LXX interpretes Jdc 10, 12; Jes 60, 6; Hab 3. 7 Midianitas (Μαδιάμ) nominant, ubi secundum textum Hebraicum Minaei intellegendi sunt.[3] Quod dupliciter explicari potest: Midianitae fuerunt aut pars Minaeorum aut gens ab iis pendens. Quorum fines quin pars regni Ma'în fuerint, dubium non est. Atque cum propius ad Israelitas sedes haberent eamque ob causam iis magis noti essent, „Midian" pro „Ma'în" magis ad meridiem vergente poni poterat.

[1] Nomen Hebraicum *midjân*, Graece Μαδιάμ sive Μαδιάν, in vetere testamento semper fere non terram, sed gentem aliquam significat, id quod ex narrationibus Jdc c. 6—8 elucet. Raro forma *midjânî* (Nm 10, 29), fem. *midjânît* (Nm 25, 6. 14 s.), plur. *midjânîm* (Gn 37, 28; Nm 25, 17; 31, 2), Graece Μαδιανῖται, Μαδιηναῖοι, Μαδιναῖοι invenitur. Gn 37, 36 *medânîm* pro *midjânîm* positum est, quia littera *j*, a qua syllaba incipitur, facile omittebatur (E. König, Historisch-kritisches Lehrgebäude der hebräischen Sprache II, 141. 472. Leipzig 1895). Quod cum H. M. Wiener (Pentateuchical studies 46. London 1912) non respiceret, vocabulum *medânîm* suspectum esse contendit.

Secundum R. Eisler (Die kenitischen Weih-Inschriften der Hyksoszeit im Bergbaugebiet der Sinaihalbinsel 82. n. 2. Freiburg i. Br. 1919) *midjân* non nomen tribus cuiusdam est, sed „communitatem quandam iuris vel cultus, amphictyoniam certi cuiusdam sanctuarii, quae ad complures tribus pertinere poterat", significat. Item P. Haupt (ZDMG, LXIII, 1909, 512) *midjân* non tribûs, sed societatis religiosae, ad quam variae tribus pertinuerint, nomen esse existimat. Vocabulum *dîn*, quod originis Sumericae sit, non solum iudicium, sed etiam cultum, religionem significare, ut midjân societatem religiosam valere possit et quidem eam amphictyoniam Edomiticam, cuius caput Elath ad sinum Aelaniticum situm fuerit.

[2] Secundum H. Winckler (KAT 143) nomina „Minaeorum" et „Midianitarum" ex diversis fontibus, unde scriptores biblici hauserunt, profecta sunt.

[3] Quae Jdc 10, 12 memoratur gens *mâ'ôn*, eadem est atque *me'ûnîm*, qui 2 Chr 26, 7 cum Arabibus coniunguntur. Pro mâ'ôn LXX interpretes in codicibus Alexandrino et Vaticano posuerunt Μαδιάμ; in aliis codicibus atque in editionibus Aldina et Complutensi Χαναάν scriptum legimus, quo modo Hieronymus quoque vertit, cum Syrus transpositis litteris *'ammôn* legerit. Unde perspicimus eos interpretes tantum coniecturas fecisse, cum Chaldaeus (*'enâšê mâ'ôn* = viri Maon) cum textu Hebraico congruat atque eum recte se habere testetur.

Midianitae ab Abraham et Ketura originem ducunt (Gn 25, 2 = 1 Chr 1, 32). Ex quinque filiis Midian (Gn 25, 4 = 1 Chr 1, 33) nemo pro certo ad ullam gentem Arabicam alias notam referri potest. Initio Midianitae a sinu Aelanitico orientem versus habitaverunt, ubi autem ex complurium interpretum opinione Jithrô, sacerdos Midianitarum, ad quem Moses ex Aegypto fugit (Ex 2, 15), habitasse non potest, quo-

niam Ex 3, 1 Moses, cum eius greges longius in desertum ageret, ad montem Horeb venisse dicitur. Quare, cum Midianitae in regione a sinu Aelanitico orientem versus spectante habitantes greges non usque ad montem Horeb pavisse possent, existimandum esse eam partem Midianitarum, quorum sacerdos Jithrô erat, sinum Aelaniticum transisse atque in parte meridiana paeninsulae Sinaiticae consedisse. Alia pars Midianitarum iam antea a sinu Aelanitico ad septentriones profecta ad litus orientale maris mortui consederat (Gn 36, 35 = 1 Chr 1, 46). Quae pars ii Midianitae esse videtur, qui unâ cum Moabitis (Nm 22, 2—4), postea unâ cum Amalekitis et „filiis orientis" (Jdc 6, 3) i. e. aliis tribubus Arabicis Israelitas bello persecuti sunt. Cum autem Israelitas ad libidines et idololatriam pellicere studerent (Nm c. 25)[1], divino iussu iis bellum illatum est, in quo quinque eorum „reges" interfecti sunt (Nm 31, 1—10).[2] Postea Gideon ex iis praeclaram victoriam adeptus est (Jdc c. 6—8), cuius memoria Jdc 9, 17; 10, 12 (LXX Μαδιάμ); Jes 9, 3 (Vulg. 4); 10, 26; Ps 83 (82), 10. 12 habetur. In aetatem iudicis Gideon aut paulo post victoria quoque, quam Hadad, rex Edomitarum, in terra Moab ex Midianitis reportavit (Gn 36, 35 = 1 Chr 1, 46), incidisse videtur, ex quo tempore Midianitae nullius iam momenti sunt; nam praeter 1 Rg 11, 18 (ubi Midian nomen regionis est) nemo scriptor biblicus nisi Jesaia (60, 6: „dromedarii Midian"), Habakuk (3, 7: „pelles [tentoria] Midian"), auctor libri Jdth (2, 16. LXX v. 26: „filii Madian") in historia gentium eorum mentionem facit.

[1] Nm 25, 1—5 Israelitae a Moabitis et v. 6—18 a Midianitis ad libidines et idololatriam pellecti esse dicuntur.

[2] Secundum Jos 13, 21 id bellum bello cum Sihon, rege Amoritarum, cui quinque illi „principes" paruisse videntur, aequandum est.

c) Ut Arabes nostrae aetatis, ita Minaei, quos Ptolemaeus 6, 7, 32 μέγα ἔθνος nominat, partim sedes stabiles habebant, partim vagabantur. Iam mature autem Minaei mercaturam turis aliorumque odorum terrae Ḥadhramût in regiones septentrionales proficiscentes faciebant.[1] Quare operam dabant, ut mercandi viam ab Arabia meridiana per oram maritimam occidentalem in Arabiam septentrionalem indeque in Aegyptum, Palaestinam meridianam et urbes portu nobiles ad mare mediterraneum sitas, quarum Gaza saepius in inscriptionibus commemoratur, ferentem stationibus firmatis tutarentur.[2] Praefectum quoque in provincia Ma'ân Muṣrân Minaei propterea collocaverant, quod septentrionalem partem viae in urbem Gaza et in Aegyptum ducentis

contra Beduinos rapaces firmare volebant. Cum autem praeterea via ex terra Ḥadhramût per Arabiam orientalem in Babyloniam tulisse videatur neque dubium sit, quin aliae quoque viae exstarent (velut per Palaestinam trans Jordanem sitam in regionem Damascenam), Minaeis iam antiquissimis temporibus magnum erat commercium cum incolis finitimarum terrarum, id quod narratio quoque biblica de Joseph vendito testatur (Gn 37, 25. 28. 36). Postea Midianitae (Minaei) in sacris litteris nisi semel (Jes 60, 6) ut gens negotiis dedita non commemorantur.

[1] De Minaeis Plinius 12, 13, 54 memoriae prodit: „Hi primi commercium turis fecere maximeque exercent, a quibus et Minaeum dictum est." Alii quoque rerum scriptores, ut Strabo et Diodorus Siculus, testantur Minaeos commercium odorum in regiones septentrionales usque ad Palaestinam meridianam fecisse. Atque Eratosthenes memoriae prodit mercatores ab urbe Minaia (= Ma'în inscriptionum) usque ad urbem Aila iter septuaginta dierum atque a Ḥadhramût usque ad Gerrhaeos iter quadraginta dierum fecisse.

[2] Inde explicatur in regionibus illis complura loca (iam iudicum aetate) nomina Arabica habere; velut *Ma'în* invenitur in Ma'ân a Petra meridiem versus, in Ma'ôn prope Hebron, in Ma'ôn in terra trans Jordanem sita; *Śibâm* in Sebâm et Sibmâ prope Hesbon; *Ḳarnâwu* in Aštarot Ḳarnaim in terra Basan; *Jathîmât* in Ješimôth; *Mêpha'at* in Mêpha'at in terra Moab: nomen capitis Katabanorum *Tamna'* in nomine tribus Edomitarum Timna'; nomen loci Katabanici *Ṣinnat* in nomine deserti Ṣinnah. Nomina quoque montium *Nebo* et *Sinai* atque deserti *Sin* in Arabia meridiana invenimus, quia non modo Ḥadhramotitae et Katabani Nebo (Anbaj) et Sin (Sîn) deos Babylonios mutuati sunt, sed etiam nomen Arabicum tribus Nebajôth a Nebo manavit. Conferas F. Hommel, AiÜ 273—275.

De regno Sabaeorum

Videas M. Hartmann, Die arabische Frage 132—164. 473—498. Paulys REclAW², 2. Reihe, 2. Halbband (Stuttgart 1920) 1298—1515. D. Nielsen, Handbuch I, 75—97.

1. Saepius quam Minaei in vetere testamento Sabaei commemorantur. Atque textus sacer *Šebâ'* Gn 10, 7 = 1 Chr 1, 9 primum filium Ra'mâ i. e. hominem Kuschitam, Gn 10, 28 = 1 Chr 1, 22 filium Joḳtan et nepotem Heber, Gn 25, 3 = 1 Chr 1, 32 filium Joḳšan, filii Abraham et Ketura, nominat. Neque vero tres diversae gentes nomine Šebâ' intellegendae sunt, quamquam diversa iis assignatur origo. Secundum sacras litteras Sabaei in partibus Arabiae vel ad septentriones

vel ad orientem vel ad meridiem spectantibus habitabant. Atque Sabaei, qui septentriones versus habitabant, e Ketura, qui ad orientem, a Kusch, qui ad meridiem a Joktan oriundi esse videntur. Quae gentes in corpus unius gentis coaluerunt, quam sub nomine Sabaeorum (*Šebâ'îm* Joel 4, 8) cognovimus.

Originatio nominis Šebâ' non liquet. Ac nonnulli quidem, cum Šebâ' vocabulo Aethiopico *sabe'* aequent, „homines, populum", alii, cum Šebâ' a verbo *saba'* (= ad bellum proficisci) ducant, „viros fortes, milites" valere dicunt. Sunt quoque, qui, cum verbum *saba'* interpretentur „negotiandi causâ proficisci", nomen Šebâ' cum commercio gentis cohaerere putent.

In Assyriorum textibus cuneiformibus saeculi octavi *Sabu' (Sab'u)* nomen terrae est (Frd. Delitzsch, Wo lag das Paradies? 303. Leipzig 1881). Atque iam in inscriptione quadam Sumerica posterioris partis tertii millennii (Arad-nannar, patesi urbis Lagaš) nomine *Sabu* aliqua terra significari videtur. In textibus quoque hieroglyphicis *Šabat (Šabt(i), Šaba)* nomen terrae est (W. M. Müller in MVAG, III, 3 [1898] 147 ss.). In vetere testamento nomen *Šebâ'* (LXX Σαβά, Syr. *Šbâ*, Arab. *Saba*) et populum et terram significat. Item שבא (etiam ישבא) in inscriptionibus Arabiae meridianae terram, regnum, populum valet. Apud Graecos et Romanos Σαβά. *Saba* nomen terrae (imprimis regni) erat eiusque incolae Σαβαῖοι, Σάβαι, *Sabaei* appellantur.*

Cum Šebâ' non est confundendum Sebâ' (LXX Σαβά, Vulg. *Saba*) i. e. nomen terrae gentisque a Kusch oriundae (Gn 10, 7 = 1 Chr 1, 9; Jes 43, 3 [LXX falso Σοήνη, var. Σουήνη]; Ps 72, 10). Secundum Jos. AJ 2, 10. 2 (§ 249) caput Aethiopiae Σαβά = Sebâ' nominabatur, quae urbs postea a Cambyse nomine sororis suae ibi mortuae Μερόη appellata est. Diodorus Siculus (Bibl. hist. 1, 33) memoriae prodit Cambysen urbem condidisse conditaeque nomen matris suae Meroë indidisse. At quaeritur, veneritque Cambyses usque ad Meroë. Praeterea id nomen vernaculum esse videtur. Et quod Josephus urbi Meroë (cuius ruinae in ripa orientali Nili prope locum Begerawîje, inter Berber [el-Mechêrif] et Chartum sitae sunt) nomen Saba fuisse dicit, id nusquam confirmatur. Nomen autem Meroë terram quoque, ubi ea urbs sita erat, significat i. e. eam regionem, quae Nilo albo (Baḥr el-Abjaḍ),

* Vestigia nominis Saba etiam nunc non solum in Arabia felici, sed passim in Arabia inveniuntur, ut *Beni as-Sab* in regione 'Omân. Ptolemaeus (6, 7, 12. 20. 24) de montibus 'Ασαβῶν, rectius 'Λσσαβῶν, in regione 'Omân sitis mentionem facit. In quo vocabulo, si primam eius syllabam articulum Arabicum esse ponimus, qui ante *s* non *al*, sed *as* sonat, nomen Sabaeorum agnoscimus (A. Knobel, Die Völkertafel der Genesis 265). Aetate Hamdânî geographi Arabici erant duae tribus, quarum se una *Šabâ*, altera *Ašbâ* (plur. nominis *Šabâ*) nominabat. Ea quoque nomina fieri potest ut ad Sabaeos referenda sint.

Nilo caeruleo (Baḥr el-Azraḳ), Atbara (qui a Chartum 220 km septentriones versus in Nilum influit) cincta „insula Meroë“ appellabatur.[1] Quin Sebâ' regio ab Aegypto meridiem versus sita intellegenda sit, non est dubium. Eo autem nomine non una „insula Meroë“ appellatur. Nam Strabo in ora sinus Arabici Σαβαϊτικὸν στόμα et λιμένα Σαβά (16, 4, 8), praeterea prope Berenicen urbem nomine Σαβαί esse dicit (16, 4, 10). Item Ptolemaeus (4, 7, 7 s.) Σαβὰτ πόλιν et στόμα Σεβαστικόν (legas Σαβαϊτικόν) commemorat.[2] Quare regio Sebâ' magis orientem versus in litore sinus Arabici quaerenda esse videtur.[3] Ceterum accepimus in Nubia, quae terra antiquissimis temporibus saltem ex parte Aegyptiis parebat,[4] undecimo a. Ch. n. saeculo regnum Aethiopicum cum capite Napata fuisse. Exeunte saeculo octavo eius reges per nonnulla decennia etiam Aegyptum subegerant. Iidem imperium terrae Meroë (Meru, Merua) obtinuisse videntur; nam secundum Jes 18, 1; Zeph 3, 10 existimandum est Meroë Israelitis notam atque secundum Jes 18, 1 partem regni Aethiopici fuisse. Jes 45, 14 eius incolae „viri mensurae“ i. e. staturae procerae nominantur.[5]

[1] Hodie geographi nomen Meroë non ad totam „insulam“, quae in monumentis Aegyptiis nunquam Sebâ' nominatur, transferunt, sed tantum partem eius septentrionalem eo nomine significant, meridianam autem *Sennâar* appellant.

[2] Nescio, an *Soba* quoque, quae urbs aetate media caput regni Sennâar fuit, ad antiquum nomen Sebâ' referendum sit.

[3] F. Hommel terram Sebâ' in Arabia sitam esse putat. De qua opinione videas E. König, Fünf neue arabische Landschaftsnamen im AT (Berlin 1902) 33. 59 s.

[4] Nubia a prima cataracta prope urbem Assuân usque ad Chartum i. e. usque ad sextum decimum gradum latitudinis septentrionalis pertinet. Antiquiore tempore longius ad septentriones usque ad Gebel Silsile (montem catenae) patebat.

[5] Herod. Hist. 3, 20: λέγονται εἶναι μέγιστοι καὶ κάλλιστοι ἀνθρώπων πάντων.

2. Sabaei initio non in Jemen, sed in regione Arabiae septentrionalis nomine Dschôf habitabant. Quod ex Job 1, 15 cognoscimus, ubi memoriae proditur eos latrocinia in terram Uz (Hebr. *ʿûṣ*) fecisse, quae desertum Syrium (Bâdiet eš-Šam) attingit.[1] Etiam secundum inscriptionem Minaeam Glas. 1155 regno Minaeorum florente ortam Sabaei etiam tum gens rapax sunt, quae in via inter Ragmat (prope Nedschrân) et Maʿân (a Petra meridiem versus) Minaeos improvise opprimit. Item Gn 10, 7 = 1 Chr 1, 9 Sabaei inter gentes Arabiam septentrionalem incolentes enumerantur, unde eos etiam tum, cum tabula gentium conscribebatur, in Dschôf Arabiae septentrionalis fuisse apparet. Ad quam primam sedem Sabaeorum verba quoque „Šebâ' et Dedân“ (Gn 10, 7;

25, 3; Ez 38, 13, etsi postremo loco Sabaei quoque Arabiae meridianae intellegendi esse videntur) pertinent; praeterea verba „Saba' et Gaww" (in inscriptione Ṣirwâḥ semel „walad Almâḳi-hû wa Gaww"), pro quibus etiam synonyma „Saba' et Juhabliḥ" (posterior terra = regio dactylifera, Diklâh [Gn 10, 27 = 1 Chr 1, 21] = Dschôf Arabiae septentrionalis) atque „Saba' et Paišân" (Faišân = Wâdi ed-Dawâsir) inveniuntur. Gaww idem fere atque Gauf (Dschôf) i. e. vallem demissam valet.[2]

[1] Veterum plerique loco Job 1, 15 nomen Šebâ' pro appellativo habuerunt „praedonum turbam" significante (a *šâbâ* = captivum abduxit); LXX: οἱ αἰχμαλωτεύοντες, Vulgata vetus: *hostes*, Syrus et Arabs: *turmae*. Plinius 6, 28, 151 „Scenitas Sabaeos" commemorat, ad quos locus Job 1, 15 referendus est. — Fuit regio quaedam nomine *Uz*, quae ab Edomitis incolebatur (Thrn 4, 21), sed eadem unâ cum Edom nominatur (Jer 25, 20), ut regio Uz pars terrae Edom fuisse videatur. Ceterum conferas Frd. Delitzsch, Das Land Uz (Zeitschrift für Keilschriftforschung II, 1885, 87—98).

[2] Videas F. Hommel, EGAO 144 s.

Adnotatio. — Nonnulli arbitrantur Sabaeos septentrionales vel partem eorum Sabaeorum, qui in Arabia meridiana regnum condiderunt, vel gentem Sabaeis non cognatam esse, quae in terram a Sabaeis relictam immigravit et ab ea terra nomen quoque accepit.

Quantum equidem iudicare possum, ad eandem primam sedem Sabaeorum narrationem quoque biblicam de regina Saba, quae ut sapientiam Salomonis admiraretur, Hierosolyma venit (1 Rg 10, 1—13 = 2 Chr 9, 1—12)[1], pertinere dicendum est. Neque enim in inscriptionibus ullum exstat vestigium, unde Sabaeos in Arabia meridiana commorantes unquam reginis usos esse appareat; quamquam facile fieri poterat, ut interdum apud eos quoque reginae regnarent. Ex textibus autem Assyriis saeculi octavi cognovimus in regione Arabiae septentrionalis *Aribi* (cuius caput castellum *Adummatu* = Dûmat el-Dschendel erat)[2] reginas fuisse, quae Assyriorum imperium agnoscerent. Velut Tiglat-Pileser III (745—727) in annalibus praeter Menahem, regem Samariae, aliosque reges etiam duarum reginarum Arabum mentionem facit: *Za-bi-bi-ê šarrat mât A-ri-bi* anno 738 et *Sa-am-si šarrat mât A-ri-bu* anno 733, quam posteriorem Sargon II quoque (721—705) anno 715 reginam sibi parentem esse dicit. Atque in inscriptione quadam regis Asarhaddon (680—669) regina quaedam Arabiae inter meridiem et orientem vergentis nomine *Japa'* commemoratur. Regnante Sanherib (704—681) reginae *Ya-ti-'i-e* i. e. *Jat'i* mentio fit. Aetate regis Assurbanipal (668—626) *U-a-a-tê-'u* rex *mât A-ri-bi* fuit, cuius

coniux nomine *A-di-ja-a* regina *mât A-ri-bi* fuisse dicitur. Quae cum ita sint, non dubites, quin apud gentes Arabiae reginae fuerint atque narratio biblica de regina Saba vera sit. Quia autem Sabaei septimo a. Ch. n. saeculo in Arabia meridiana multum valere et omnem mercaturam in terras ad septentriones spectantes obtinere coeperunt, scriptor biblicus, qui postea fuit, reginam terrae Aribi aetate Salomonis simpliciter reginam Saba nominat. Si autem aetate scriptoris biblici regnum Minaeum etiam fuisset, intellegendum non esset, cur non illam reginam reginam Minaeorum esse dixisset.

Ceterum biblicam de regina Saba narrationem fabulosam esse complures viri docti recentioris aetatis his causis demonstrare studuerunt: primum antiquis illis temporibus reges vel reginas voluptatis causâ itinera molesta non suscepisse; tum Sabaeos reginis usos non esse; denique in textu biblico nomen reginae Saba non commemorari. Quae causae nullius sunt momenti, si terram reginae Saba in Arabia septentrionali quaerimus, ubi, id quod ex textibus cuneiformibus elucet, reginae regnaverunt atque regibus Assyriorum tributum eorundem fere donorum, quae Salomo a regina Saba accepit, obtulerunt. Neque vero quod inter dona a regina Saba Salomoni allata res, quae in Arabia meridiana gignuntur, commemorantur, inde colligi necesse est eam reginam Arabum meridianorum fuisse, propterea quod fieri potest, ut Sabaei septentrionales, cum haud dubie mercaturam facerent, mercaturâ illas sibi comparaverint. Quod autem nomen reginae a scriptore biblico omissum est, id respicienti, quo modo in libris sacris narretur, mirum non est. Et cum tales narrationes, qualis narratio biblica de regina Saba apud Arabes septentrionales quoque inveniantur, inde perspicimus existimatum esse, ut reginae Arabicae eius modi itinera facerent. Atque iam aetate reginae Ḥa'tschepsut, sororis Pharaonis Thutmes III (quinto decimo a. Ch. n. saeculo), regina quaedam Arabum, ut dominationem Aegyptiam coleret, Thebas venit. Ceterum in historia Arabiae etiam nunc multa non liquent. Quae autem de ea accepimus, iis satis demonstratur narrationem illam biblicam fabulosam non esse.

[1] Recentiores interpretes (ut *A. Šanda*) reginam Saba imprimis mercaturae causâ, non tantum ad Salomonis sapientiam audiendam iter fecisse putant. E. Glaser (Skizze II, 384) arbitratur eam, cum foedus inter Salomonem et Hiram ictum esse audivisset, metuentem, ne eo sua terra peteretur, ad Salomonem, ut eius gratiam donis sibi pareret, profectam esse.

[2] F. Hommel (Vier neue arabische Landschaftsnamen im AT [Sonderabdruck] 313. München 1901) vocabulum *Jârêb* (Hos 5, 13; 10, 6) nomen alicuius terrae esse

ratus cum *Aribi* aequat eamque primam sedem Sabaeorum esse dicit, ubi etiam aetate Salomonis fuerint. Videas etiam W. Riedel, Alttestamentliche Untersuchungen I (Leipzig 1902) 17 s. Contra E. König (Fünf neue arabische Landschaftsnamen im AT 63. Berlin 1902) verba *melek jârêb* (l. c.) cum *šarru rabbu* (= rex magnus), titulo usitato regum Assyriorum, cohaerere demonstrare studet. Conferas KAT 150 s.

Adnotatio. — Reginam Saba quondam Salomonis visendi causâ Hierosolyma venisse Arabes quoque memoriâ tenent, qui eam *Bilkîs* (Ḳorân 27, 22—45: *Balkîs* = παλλακίς KAT 237) vocatam esse narrant. Eam unâ cum trecentis adulescentibus et virginibus ita venisse, ut adulescentes virginum vestimentis, virgines adulescentium vestimentis uterentur; a Salomone uxorem ductam esse. Conferas G. Rösch, Die Königin von Saba als Königin Bilkîs (Jahrbücher für protestantische Theologie VI, 1880, 524 ss.). — Abessinii eam reginam Aethiopiae (Meroë) nomine *Maqueda* fuisse, Hierosolymis religionem Mosaicam professam esse, cum Salomone filium nomine *Menilek* (=filium sapientis) genuisse, qui Hebraeos, Sabaeos, Homeritas, Midianitas sibi subiectos in litus sinus Arabici ad orientem spectans duxerit ibique urbem Axum condiderit, memoriae produnt. — Quia LXX interpretes duo nomina Šebâ' et Sebâ' uno nomine Σαβά reddiderunt, Josephus AJ 8, 6. 2 et 6 (§ 158 s. 175) illam dominatricem, quam Νικαύλην nominat, falso τῶν Αἰγυπτίων καὶ τῆς Αἰθιοπίας βασίλισσαν fuisse dicit. — Interpres Arabicus loci 1 Rg 10, 1 eam „reginam meridiei" appellat. Item Mt 12, 42 et Lc 11, 31 ei nomen βασίλισσα νότου inditur. In Testamento Salomonis regina Saba maga (γόης) fuisse traditur.* Baba bathra 15 b qui מלכת שבא feminam fuisse putet, errare dicitur; nam ea verba idem quod *malekûtha dišebâ'* (= regnum Saba) valere. Salomonem igitur cum regina Saba usum habuisse negatur, fortasse propterea, quod fama erat ex hoc usu Salomoni filium partum esse.

3. Nono et octavo a. Ch. n. saeculo Sabaei ab Assyriis procedentibus impulsi paulatim ex Arabia septentrionali meridiem versus profecti sunt, ubi a Minaeis ad meridiem et orientem versus consedisse videntur. Atque Tiglat-Pileser III et Sargon II Sabaeis tributa imposuerunt. Sargon quidem a Pir'u rege Muṣri, Samsê regina Aribi, Sabaeo It'i-amara (var. It'i-amra), regibus orae maritimae et regionis desertae anno 715 tributa accepisse ex illius annalibus (lin. 44—99) apparet.[1] Inde autem, quod It'i-amara Sabaei sine titulo inter reges mentio fit, complures viri docti colligendum esse existimaverunt Sabaeos tum gentem honoratam quidem, sed nondum in populi unius corpus coalitam fuisse. At quod rex Assyriorum, homo superbissimus, It'i-amara nullo titulo ornat, sed simpliciter Sabaeum *(Sa-ba-'a-ai)* nominat, mirum non est. Nam in regis quoque Aššur-nâṣir-apli II (883—859) inscriptione quadam Lu-bar-na simpliciter Patinaeus *(Pa-ti-na-ai)* appellatur, quamqam ibi de eius urbe regia nomine Ku-nu-lu-a sermo est (KB, I,

* Quod Testamentum (ed. *F. C. Conybeare* in Jewish Quarterly Review 1898, 9, L, 1—45) Salomo Israelitis reliquisse dicitur, ut artes daemonum discerent.

106. 108). Inde autem, quod It'i-amara Sabaeus post regem terrae Muṣri et reginam terrae Aribi nominatur, elucet eius sedem non in Jemen, sed a terra Aribi meridiem versus, in Arabia media quaerendam esse. Paulo post regis Sargon expeditionem contra Aribi et It'i-amara Sabaeum susceptam Sabaei ad fines regni Minaei pervenisse videntur; nam in inscriptione quadam Minaea regnante Tub'i-kariba orta Sabaei iam finitimi regno Ma'în esse dicuntur, cuius opes tum (circiter 700) iam valde comminutae erant, quoniam Minaei, cum inscriptiones et dedicationes in deorum Sabaeorum tutelam tradunt, eorum animos placare et propitios reddere student. Non ita multo post Sabaei duce principe sacerdotali Jith'î-amara Bajin eiusque successore Kariba-ilu Watar regno Minaeorum finem fecerunt.[2] Provincias quoque longius meridiem versus sitas, imprimis Ḥadhramût, Sabaei subegerunt, ut totum regnum Minaeum iis pareret. Etiam regibus terrarum Ḳatabân et Ausân, quamquam diu pertinacissime restiterant, imperium Sabaeorum agnoscendum fuit.

[1] H. Gressmann, Altorientalische Texte zum AT (Berlin-Leipzig 1926) 349.

[2] De regno Minaeorum a Sabaeis subacto in inscriptionibus Glas. 418 + 419 et 1000 agitur. — Quando princeps sacerdotalis Kariba-ilu Watar fuerit, nunc satis reperiri potest: Ut supra diximus regnante Sargon II (anno 715) tributum Sabaei It'i-amara commemoratur, quod nomen haud dubie idem est atque Jith'i-amara. Nonnulli quidem putaverunt in annalibus regis Sargon de Sabaeis in Arabia septentrionali habitantibus agi. Nunc autem inscriptio quaedam exeunte aetate (circiter 685) regis Sanherib (704—681) orta in Assur inventa est, in qua Ka-ri-bi-ilu, rex terrae Saba'i, aequalis Sanherib nominatur (O. Schroeder, Keilschrifttexte aus Assur II, nr. 122. Leipzig 1922), ut in inscriptionibus Assyriis intra triginta annos (715—685) et It'i-amara et Karibi-ilu (inter quos fortasse aliquis princeps, qui omittitur, regnavit) commemorentur, sicut in inscriptionibus antiquorum Arabum exeunte periodo principum sacerdotalium Jith'i-amara Bajin, Kariba-ilu Bajin, Kariba-ilu Watar commemorantur. Dubium ergo non est, quin in inscriptionibus illis regum Sargon et Sanherib princeps sacerdotalis Ith'i-amara et unus ex eius successoribus nomine Kariba-ilu intellegendi sint. Videas F. Hommel apud *D. Nielsen,* Handbuch I, 75 s.

4. Historiam Sabaeorum in quattuor periodos dividere possumus. Ac prima quidem periodus, circiter ab anno a. Ch. n. 750, est aetas *„Mukarrib"* sive principum sacerdotalium[1], quorum quindecim nomina nota sunt. Antiquissimus omnium, quos quidem cognovimus, est Šumuhu-'alaja.[2] Eorum sedes urbs Ṣirwâḥ fuisse videtur, cum ibi plurimae inscriptiones aetatis eorum inventae sint. Secunda periodo regnum Sabaeorum maxime floruit. Tum principes *„reges Saba'"* se appellabant.[3] Sedem regni ab urbe Ṣirwâḥ, cum in regione infecunda sita esset,

in urbem Marjab in valle aquosa Wâdi Dhenne, ab urbe Ṣanʿâ orientem versus sita transtulerunt.[4] Ex „regibus Sabaʾ“ adhuc septemdecim nomine noti sunt, qui circiter quadringentos annos explesse putandi sunt. Circa annum a. Ch. n. centesimum decimum quintum nova aetas (tertia periodus) in historia Sabaeorum initium cepit. Tum enim Himjaritae (Homeritae, Ὁμηρίται), qui initio in ea parte Arabiae, quae inter meridiem et occidentem spectat, habitabant, rerum potiti sunt. Qui se *„reges Sabaʾ et Dhû-Raidân“* nominabant atque in urbe Tzafâr a Ṣanʿâ meridiem versus sita sedem habebant.[5] Apud scriptores Arabicos *Tubbaʿ* (Tababiʿa) appellantur atque potentissimi esse dicuntur.[6] Ceterum scriptores Arabici regnum Sabaeorum et Homeritarum non discernunt. Quibus Philostorgius quoque (qui circa annum p. Ch. n. 364 in Cappadocia natus est), cum Homeritas novum nomen Sabaeorum esse putet, assentitur. Annis a. Ch. n. 25—24 Augustus per C. Aelium Gallum ducem Arabiam meridianam expugnare frustra conatus est.[7] Inde ab aetate regis Šammar Juharʿiš, qui terram Ḥadhramût expugnaverat et circa annum p. Ch. n. 300 titulum *„regis Sabaʿ et Dhû-Raidân et Ḥadhramût et Jamanât“* sibi attribuerat (quarta periodus), de Sabaeis ex inscriptionibus Arabiae meridianae usque ad annum 378 iam nihil comperimus. Eo anno regis cuiusdam nomine Malkî-kariba Juhaʾmin (unâ cum filiis Abî-kariba Asʿad et Wirʾî-amara), qui eodem titulo quo Šammar Juharʿiš appellatur, mentio fit (Glas. 389 et 823). Himjaritis autem regnantibus cum religio quoque Judaica et postea religio Christiana in Arabiam meridianam inductae sint, multae inscriptiones inter quartum et sextum p. Ch. n. saeculum ortae monotheismum prae se ferunt. Nam Hierosolymis dirutis multi Judaei non solum in regiones urbibus Jathrib (Medîna) et Mekka propinquas, sed etiam in terram Jemen immigraverant et effecerant, ut multi religionem suam susciperent. Atque scriptores Arabici iam regem Asʿad Abu-karib (200—236) Judaismum instituisse dicunt; regionibus enim septentrionalibus bellum inferentem in Jathrib unâ cum toto exercitu religionem Judaicam suscepisse eandemque in regnum suum reversum induxisse, cum Judaei Himjaritas adversus Sabaeos adiuvissent. Ad quartam illam periodum historiae Arabiae meridianae impetus quoque Abessiniorum (Ḥabašitarum) in regnum Himjaritarum pertinent*, ubi ipsi quondam

---

* Ceterum reges Abessiniae *(Ḥabašat*, cf. Arab. *Ḥabaš)* iam secundo p. Ch. n. saeculo incolis orae Arabiae ad meridiem vergentis bellum intulerant.

habitaverant.[8] Ex inscriptione quadam bilingui (Graeca et Aethiopica), quae circiter medio quarto saeculo confecta est, apparet eos ex Himjaritis victoriam reportasse et aliquantum temporis in eos dominatos esse.[9] Quibus circa annum 375 Himjaritae rursus imperium eripuerunt. Cum autem Dhû Nu'âs (Dhû Nuwâs, 490—525), qui rex ultimus Himjaritarum ut eius antecessores religionem Judaicam profitebatur, Christianos in Nedschrân persequeretur et Christiani ab Abessiniis auxilium contra eum peterent, hi magno cum exercitu in Arabiam irruperunt, regnoque Himjaritarum finem fecerunt. Neque vero Abessiniorum imperium diu permansit; nam anno 575 pronepos regis Dhû Nu'âs Persis adiuvantibus rursus rerum potitus est. Ab anno 600 Arabia meridiana dicionis imperiique Persarum, ab anno 634 Muhammedanorum facta est.

[1] Quae vocales vocabulo מכרב tribuendae sint, non constat, ut *Mukarrib, Mukarrab, Makrûb, Makârib* lectum sit. Item eius vis nondum explorata est. Verisimile autem est eo dignitatem sacerdotalem et regiam in uno homine coniunctam significari, quam dignitatem apud alias quoque gentes Semiticas invenimus (cf. Melchisedech). Apud Katabanos quoque principes sacerdotales fuerunt. A. Grohmann (Über katabanische Herrscherreihen. In „Anzeiger der Wiener Akademie" 29. März 1916) novem principes sacerdotales Katabanorum enumerat, quorum nonus autem, Šumuhu-watar, aequalis Jith'î-amara Bajin principis sacerdotalis Sabaeorum, haud dubie rex habendus est. In regno Ḥadhramotitarum principi iam regno Minaeo florente nomen regium erat, id quod inscriptione Hal. 193 demonstratur. Apud Minaeos principes sacerdotales non fuisse videntur. Ceterum cum titulo *mukarrib* titulus *pa-te-si* = *iššakku* apud Babylonios et Assyrios usitatus comparandus est.

[2] Qui patrem huius Šumuhu-'alaja quendam Jith'î-kariba Faḳdhân esse putant (E. Glaser, Skizze I, 66), inscriptionem Glas. 926, quae ad Šumuhu-'alaja posterioris aetatis referenda est, falso interpretantur.

[3] Kariba-ilu Watar, qui conditor regni Sabaeorum existimandus est, titulum mukarrib tenuit. Idem in proximos eius successores cadere videtur. — Primus „rex (malik) Saba'", cuius in inscriptionibus mentio fit, est Šumu-'alaja Dhariḥ. Ultimi reges eius periodi sunt Pari'um Janhab (Junâhib) atque 'Alhân Nahpân rex ei oppositus.

[4] Praeter reges Saba' reges quoque Marjab commemorantur, quod ita explicatur, ut reges Saba' ad tempus in urbe Ṣirwâḥ habitarent atque in urbe Marjab aliam domum regnatricem sui generis esse paterentur.

[5] Castellum Raidân in terra Katabanorum situm erat. Secundum F. Hommel (EGAO 656) verisimillimum est reges Himjaritarum circa annum a. Ch. n. 115 nomen *„rex Saba' et Dhû-Raidân"* sibi attribuisse idque propterea quod paulo ante regno Ḳatabân finem fecerant. — Tzafâr (*Sapphar* Plin. 6, 23, 104; Σάπφαρ, Σάπφαρα Ptolem. 6, 7, 25 et 41; *Taphra* Ammian. Marc. Rer. gest. 22, 6, 47) anno p. Ch. n. 526 ab Abessiniis capta est captaque deleta esse videtur, quia ex illo tempore Ṣan'â caput terrae Jemen nominatur. Ruinae urbis a Jerîm meridiem et orientem versus in monte Samâra sitae sunt.

[6] Videas M. Hartmann, Die arabische Frage 473—498.

[7] C. Aelii Galli in Arabiam expeditionem, ad quam Herodes Magnus quoque auxilia quingentorum militum misit (Jos. AJ 15, 9. 3. § 317), Strabo 16, 4, 22—24 diligenter, Dio Cassius 53, 29, Plinius 6, 28, 160 s. monumentum Ancyranum 5, 18 s. (apud Th. Mommsen, Res gestae divi Augusti[2] 105. Berolini 1883) brevius narrant. Qui nomine Wâdi er-Rûm (= vallis Romanorum) prope Ḳarn (= Carnon) memoriam belli Romani retineri putant, prorsus errare videntur. — Conferas H. Krüger, Der Feldzug des Aelius Gallus nach dem glücklichen Arabien unter Kaiser Augustus. Wismar 1862.

[8] Incolae Arabiae meridianae iam mature in Abessiniam immigraverunt ibique magnum regnum *(Aksûm, Axûm)* condiderunt. Vulgo putant eos aetate regni Sabaeorum in Abessiniam venisse; sed ex inscriptionibus reliquiisque aedificiorum colligi potest eos iam circa annum a. Ch. n. millesimum i. e. aetate regni Minaeorum eo immigrasse. — Conferas E. Glaser, Die Abessinier in Arabien und Afrika. München 1895. C. Conti Rossini, Sugli Ḥabašat. Reale accademia dei Lincei. Estratto dei Rendiconti (Vol. 15. fasc. 1) Roma 1906. E. Littmann, Deutsche Aksum Expedition I (III. Zur Geschichte Aksums) Berlin 1913.

[9] D. H. Müller, Epigraphische Denkmäler aus Abessinien. Denkschriften der kais. Akademie der Wissenschaften in Wien, Phil.-hist. Kl. XLIII, 1894, 16 s. — Reges Abessiniae (qui circa annum 350 religionem Christianam amplexi sunt) Ela Amida (circiter 340—348) eiusque successores totam Arabiam expugnasse ex eorum titulo *„rex Axûm et Ḥimjar et Raidân et Ḥabašat* (= Ḥadhramôt) *et Saba' et Salḥ et Tihâma* (i. e. regionis maritimae)" perspicimus.

5. Nomen capitis regni Sabaeorum erat Σάβαι, Sabai. Forma nominis Saba, qua nonnulli scriptores antiquioris aetatis id nominant, apud scriptores Graecos et Romanos non invenitur. Nam Σάβα, cuius Theophrastus (Hist. plant. 9, 4, 2) mentionem facit, non urbis, sed terrae nomen est. Quod autem Philostorgius (Hist. eccl. 2, 6) de Σάβα μητροπόλει dicit, eam formam nominis a nomine terrae et gentis ad caput transtulit. Neque Sabai cum *Mariba* (Plin. 6, 28, 159) aequanda est, quam urbem C. Aelius Gallus delevit (ib. 160)[1], cum Sabai aggressus non sit. Sabai vero eadem urbs est atque Μαρίαβα sive Μαρίεβα (in inscriptionibus מריב = *Marjab* vel etiam מרימת), quam urbem Eratosthenes (apud Strab. 16, 4, 2) caput Sabaeorum nominat.[2] Ad Wâdi Dhenne, circiter 100 km a Ṣan'â orientem versus sita magnificis molibus fluctibus oppositis celeber erat.[3] Ibi etiam nunc permulta antiquitatis rudera, in his aedificia et lapides cum inscriptionibus (quarum quadringentas fere E. Glaser in tertio itinere anno 1888 transcripsit) supersunt. Ex ruinis imprimis reliquiae antiquorum urbis moenium commemorandae sunt, quia inscriptionibus refertae sunt. Multi nomine

quoque Μαρίαμα (Ptolem. 6, 7, 37) urbem Marjab significari putant[1], quod verisimile non est. Vico *Mârib (Ma'rib)* huius aetatis tantum pars antiquae urbis occupatur.[5]

[1] Quo loco C. Aelius Gallus urbes „Negranam, Nestum, Nescam, Masugum, Caminacum, Labeciam, Maribam" delevisse dicitur.

[2] Quamquam non est existimandum Sabai nomen prius, Mariaba nomen posterius urbis fuisse neque gentem nomen a capite traxisse. Sed nomen urbis Sabai e nomine terrae gentisque petitum est et „urbem Sabaeorum" significat.

[3] Himjaritae reginam Bilḳis moles illas fluctibus oppositas exstruxisse putabant. Alii eam has moles tantum refecisse, Loḳmân autem vel Sabas conditorem urbis Mariaba, quorum alteruterque ad historiam fabularem pertinet, exstruxisse dicunt. Secundum inscriptiones vero princeps sacerdotalis Ith'i-amara Bajin moles exstruxit, quae ter deletae sunt: primum anno p. Ch. n. 447, iterum anno 539, tertium paulo post. Earum reliquiae a vico Mârib 8 km meridiem et occidentem versus conspiciuntur. Conferas Ḳorân 34, 14—18. E. Glaser, Skizze I, 69—71. Zwei Inschriften über den Dammbruch von Mârib (Berlin 1897). Unam inscriptionem centum linearum (Glas. 554+406—410) Saraḥbi'il Ja'pur, rex Sabaeorum, annis 449 et 450, alteram centum triginta sex linearum (Glas, 618) rex quidam Aksumitarum annis 542 et 543 confecit.

[4] A. Sprenger, Die alte Geographie Arabiens 159 s.

[5] Conferas Paulys REclAW², 2. Reihe, 2. Halbband (Stuttgart 1920) 1515—1520.

Adnotatio. — Secundum traditionem Arabum antiquum nomen capitis Jemen est *Uzal* (*'ûzâl* Gn 10, 27; 1 Chr 1, 21; Ez 27, 19).* A geographis Arabicis (velut a Jâḳût) *Azâl* quoque appellatur. Postea nomen Ṣan'â (in inscriptione Glas. 424, 12 Ṣan'âwu) accepit. Sed etiam sexto p. Ch. n. saeculo nomen antiquum Uzal usitatum fuisse ex verbis Joannis, episcopi Syri, intellegimus, qui Uzalios inter populos Arabiae felicis enumerat (J. S. Assemani, Bibliotheca orientalis Clementino-Vaticana [Romae 1719—28] I, 360). Judaei quoque mediae aetatis urbem Ṣan'â Uzal nominabant et etiam nunc Arabes Azal vel Uzal antiquum nomen illius urbis esse dicunt. Neque est, cur ea fama impugnetur, propterea quod illud nomen et aliis locis Arabiae ad meridiem et occidentem vergentis attribuitur. *Ausaritae (Autaridae)* enim, quos Plinius (6, 28, 153; 12, 16, 69) unâ cum Catapanis et Gebbanitis commemorat et regno Gebbanitarum tribuit, tantum incolae urbis Uzal esse possunt. *Auzalii* quoque, quorum scriptores Syrii mentionem faciunt, iidem esse videntur.

A Marjab circiter 25 km occidentem versus Ṣirwâḥ sita erat. Quod nomen castellum valere videtur (cf. *ṣarḥat* = turris) atque in inscriptione quadam ibi inventa (Glas. 904 [= Hal. 51 + 650 + 638] lin. 13) urbs plane eo nomine appellatur (hagarân Ṣirwâḥ), cum in magna inscriptione Ṣirwâḥ, quae vocatur, non commemoretur. Ṣirwâḥ postea

* E. Glaser (Skizze II, 310) Uzal cum Azalla = *A-za-al-la,* cuius in prismate Taylor (7, 82—9, 114 et 10, 1—5, ubi rex Assurbanipal de expeditione contra incolas terrae Aribi et finitimarum regionum susceptâ agit) mentio fit, aequandam esse existimat.

quoque alicuius momenti fuisse et ex inscriptionibus posterioris aetatis ibi inventis, velut Hal. 48 et 49 (ubi de nummis urbis agitur), et ex eius in magna inscriptione Glas. 618, 30 (ubi de molibus perruptis mentio fit) commemoratione perspicimus.

A Marjab septentriones et orientem versus collis ruderum *Ḫaribet* (i. e. ruina) *es-Seʿoud*, cuius nomen antiquum Kutal novimus, assurgit. Kutal autem nihil aliud est nisi urbs *Ktlm* iam temporibus principum sacerdotalium florens, quod nomen *Kutalum* pronuntiatum esse videtur.

Plinius (6, 28, 154) inter urbes Sabaeas „in Rubro litore" sitas urbem quoque *Sabratha* commemorat, quae nullo modo cum *Sabota* (6, 28, 155) aequari potest, quippe cum Sabratha urbs Sabaeorum „in Rubro litore" sita, Sabota autem, caput Ḥadhramotitarum, a mari remota fuerit.

6. Sabaei antiquis temporibus praeter ceteras gentes Arabiae florebant neque ulla gens Asiae anterioris iis magis mercaturae operam dabat (cf. Ez 38, 13) exceptis Phoenicibus. Atque Sabaei res, quas Arabia felix procreat, non solum in terras septentrionales[1], sed etiam in Mesopotamiam, Syriam, Aegyptum vendebant. Cum Aethiopibus quoque commercium habebant. Quae merces eorum in sacris litteris commemorantur, sunt aurum, lapides pretiosi, varia suffimenta.[2] Etsi autem terra, quae maxime aurum suppeditabat, erat *Ophir* i. e. ora Arabiae inter meridiem et orientem spectantis ad sinum Persicum sita atque longe ad septentriones pertinens (*E. Glaser,* Skizze II, 353—387)[3], et tus ac myrrha imprimis in regionibus Katabanorum et Ḥadhramotitarum reperta sunt (Strab. 16, 4, 2), tamen terra quoque Sabaeorum aurum, lapides pretiosos, tus, myrrham, balsamum, casiam, calamum aromaticum, cinnamomum, imprimis suffimentum odoris suavissimi, quod Larimnon vocatur, ferebat.[4] Ceterum Sabaei partem illarum mercium (lapides pretiosos et cinnamomum) ex India quoque advehebant, quacum iam mature commercium maritimum habebant.[5] Atque plus mille annos principes gentium Arabiae meridianae merces Indicas in Aegyptum atque in terras ad mare mediterraneum sitas transmittendas curaverunt itaque magnas pepererunt divitias.[6] Imprimis varia aromata templis Aegyptiis subvehere nunquam desisse ex inscriptione quadam aetatis Ptolemaeorum perspicimus.[7] Sed ubi Nearchus, dux classis Alexandri Magni, iter maritimum in Indiam invenit et Ptolemaei canalem a mari rubro in Nilum ducentem effoderunt, Alexandria maximum emporium omnium ex Asia orientali mercium facta est,

mercatura autem gentium Arabiae meridianae perire coepit. Ceterum non modo incolae Arabiae felicis, sed etiam tribus Arabiam septentrionalem incolentes mercaturam faciebant, cum eas res, quas Arabia meridiana et India procreabant, in Aegyptum, Syriam, Palaestinam etc exportarent (Gn 37, 25. 28; Jes 21, 13; Ez 27, 15. 20; 38, 13). Atque easdem tribus negotiationem quoque venaliciariam exercuisse ex Gn 37, 28 cognoscimus.

[1] Imprimis Tyrum Sabaei merces subvehebant (Ez 27, 22). Conferas Ez 27, 19, ubi ad nundinas Tyri Vedân et Jâvân ex 'Uzâl merces (ferrum fabricatum i. e. laminas gladiorum, casiam, calamum aromaticum) apportavisse dicuntur. Vedân eadem urbs esse videtur, quam hodie 'Aden vocamus. Jâvân est regio vel oppidum Arabiae felicis, ex aliorum opinione colonia quaedam mercatorum Joniae in Arabia meridiana. 'Uzâl est nomen antiquum urbis Ṣan'â, id quod iam supra diximus.

[2] Loci biblici, quibus Arabiam meridianam ture, myrrha, auro, gemmis abundare praedicatur et Sabaeorum cum Aegyptiis, Syris, Phoenicibus magnum commercium memoratur, sunt Jes 60, 6; Jer 6, 20; Ez 27, 15. 20—23; 38, 13; Job 6, 19; Ps 72, 10. 15. — Joel 4, 8 (Vulg. 3, 8) Sabaei gens longinqua esse dicuntur, cui Judaei filios et filias Tyriorum et Sidoniorum vendent.

[3] Secundum sacras litteras *Ophir* (Hebr. *'ôphir* et *'ôphîr*) in Arabia quaerenda est, cum Gn 10, 28 s. = 1 Chr 1, 22 s. Ophir unâ cum Šebâ' et Ḥavîlâh ad familiam Joktanidarum pertinere dicatur. Haud pauci interpretes recentiores regionem Ophir auro abundantem in Arabia meridiana quaerunt. Alii Ophir cum *Apir* (quo nomine initio ea pars terrae Elamitarum, quae Arabiae orientali opposita est, circa annum a. Ch. n. millesimum Arabia orientalis ipsa appellabatur) aequant (cf. F. Hommel, AiÜ 236. G. Hüsing in OLZ, VI, 1903, 367—371; VII, 1904, 87—92). Aurum Ophiriticum saepius in vetere testamento commemoratur (1 Rg 9, 28; 22, 49; 1 Chr 29, 4; 2 Chr 8, 18; Jes 13, 12; Ps 45, 10; Job 22, 24; 28, 16). Regionis quoque auriferae *'Uphâz* mentio fit (Jer 10, 9; Dn 10, 5. — 1 Rg 10, 18, ubi *mûphâz* ex *mê'ûphâz* contractum est). Sitne eadem regio atque Ophir an alia regio auri dives, interpretes dubitant. Quamquam prius illud verisimilius esse videtur (Chaldaeus, Syrus, Theodotion Jer 10, 9 pro Uphaz legunt Ophir). Quod LXX interpretes et Vulgata Ps 72 (71), 15 verba *zehab šebâ'* „χρυσίῳ Ἀραβίας, auro Arabiae" reddunt, id recte se habet, cum Šebâ' non terra aurifera, quae proprie dicitur, fuerit. — Videas A. Šanda, Salomo und seine Zeit (BZF, VI, 1—2. Münster i. W. 1913) 31—33.

[4] Aurum in Jemen hodie iam non reperitur, sed multi scriptores antiqui memoriae prodiderunt eam regionem auro abundare. Lapides pretiosi etiam hodie in montibus regionis Ḥadhramût et in Jemen inveniuntur. Atque varia aromata in terra Sabaeorum nasci omnes scriptores antiqui affirmant.

[5] Nonnulli cinnamomum non in Arabia meridiana inveniri, sed a regione cinnamomifera paeninsulae Somali in Arabiam venisse dicunt. Quod dubitans C. Schumann (Kritische Untersuchungen über die Zimmtländer. Ein Beitrag zur Geschichte der Geographie und des Handels. Gotha 1883) cinnamomum ex terris orientalibus in Arabiam importatum esse existimat.

[6] Sabaeorum divitiae mercaturâ acquisitae toto orbe terrarum notae erant. Apud Romanos proverbii locum obtinebant. Respicias autem ab *Horatio* gentem illam propter divitias claram non „Sabaeos“, sed „Arabes“ appellari: „Nec otia divitiis Arabum liberrima muto“ (Ep. 1, 7, 36). „Plenas Arabum domus“ (Od. 2, 12, 24). „Icci beatis nunc Arabum gazis“ (Od. 1, 29, 1). At summis illis divitiis mores Sabaeorum molliti sunt. Inde verba *Vergilii* Georg. 2, 57: „molles Sabaei“ explicantur, ad quae Servius adnotat: „quod femineos cultus vestesque gerunt“. Nihilo minus Sabaei etiam gens bellicosa erant. Scriptores enim veteres (Agatharchides, Strabo, Plinius) narrant eos saepius unâ cum Nabataeis incursiones in Syriam fecisse, priusquam Romani eâ potirentur; Ḥadhramotitas et multas insulas, etiam Sambrakate in sinu Persico sitam, subegisse; varias colonias deduxisse.* In vetere quoque testamento vestigia, quibus Sabaeos magnas opes habuisse demonstratur, exstant. Velut Jes 60, 6 Saba pro paeninsula Arabica universa posita esse videtur. Item ex nomine Sa-ba-t, quod in stela Darii I Hystaspis in Mashuta inventa legitur, *W. M. Müller* (MVGA, III, 3 [1898] 36) concludit tum, cum ea stela conficiebatur, i. e. circa annum a. Ch. n. 500, Sabaeos tam potentes fuisse, ut eorum nomen ad totam Arabiam significandam usurparetur. Etiam aetate imperii Romani regnum Sabaeum in Arabia plurimum valere existimabatur, quo factum est, ut eius in monumento quoque Ancyrano mentio fiat atque et Graeci et Romani nomine Saba vulgo paeninsulam Arabicam appellarent.

[7] Aegyptii, cum ex Arabia tus templis suis apportarent, eam *Ta-nuter* = terram dei i. e. terram sanctam nominabant.

De quaestione Minaea, quae vocatur

Usque ad annum 1889 paucis viris doctis, qui tum in monumentis Arabiae meridianae exquirendis versabantur, exploratum erat regna Minaeorum et Sabaeorum aequalia fuisse. E. Glaser (Skizze I, c. 3. cf. c. 4—6) primus regnum Minaeum ante regnum Sabaeum fuisse atque priore parte ultimi a. Ch. n. millennii a Sabaeis victum esse contendit. Cum regnum Sabaeum iam octavo a. Ch. n. saeculo exstitisset, regnum autem Minaeum 29 fere regum Minaeorum, quorum nomina adhuc in inscriptionibus inventa sunt, ratione habitâ haud dubie circiter ($29 \times 25 =$) 725 annos permaneret, id regnum iam medio secundo a. Ch. n. millennio fuisse, immo vero iam duobus milibus annorum a. Ch. n. compluribus gentibus coniunctis conditum esse iudicavit. Aetatem Sabaeorum in quattuor periodos divisit: „periodum Mukarrib sive principum sacerdotalium“, quae circiter duorum saeculorum (1070 vel 1020—820) erat, intra quam Sabaei cum Minaeis de principatu pugnabant; periodum „regum Saba“, quae usque ad finem fere aetatis Achaemenidarum (330 a. Ch. n.) pertinebat; periodum „regum Saba et Dhû-Raidân“, quae usque ad annum p. Ch. n. 300 pertinebat; periodum „regum Saba et Dhû-Raidân, Ḥadhramôt et Jemnât“. Quod idem

* Loco Job 1, 15 (ubi Sabaei in septentrionali Arabiae parte, a sinu Persico et Euphrate usque ad Idumaeam vitam pastoriciam agentes intellegendi sunt) non demonstratur colonias Sabaeorum fuisse (id quod nonnulli existimant), sed confirmatur Sabaeos antiquitus in Arabia septentrionali habitavisse.

E. Glaser in libris quoque postea editis de aetate regni Minaei protulit et antiquissimas inscriptiones Minaeas secundo atque iam tertio a. Ch. n. millennio ortas esse existimavit, ut regnum Minaeum haud dubie iam viginti duobus a. Ch. n. saeculis exstitisse posset.

Cui sententiae complures viri docti (ut F. Hommel, H. Winckler, O. Weber, H. Grimme, B. Baentsch, J. Benzinger, H. Derenbourg, N. Rhodokanakis) assensi sunt; alii autem (inter quos J. Halévy, D. H. Müller, J. H. Mordtmann, A. Sprenger, E. Meyer, M. J. Lagrange, M. Hartmann, M. Lidzbarski, J. Tkač) E. Glaser impugnaverunt neque eum convicerunt, ut huius sententia nunc a multis viris eruditis comprobata sit.

Atque sententia regnum Minaeum ante regnum Sabaeum fuisse iam inscriptione Glas. 1155 = Hal. 535 + 578 commendatur, quod ibi Sabaei gens vaga et rapax in Arabia septentrionali habitans dicuntur, ut tum, cum ea inscriptio orta est (ex multorum opinione circa annum a. Ch. n. millesimum), in Arabia meridiana regnum Sabaeum nondum exstitisse possit. Sed aliis quoque inscriptionibus ab E. Glaser inventis, imprimis inscriptione Ṣirwâḥ, quam vocant (Glas. 1000, accuratius 998—1002), confirmatur. Qua inscriptione de magna victoria a Mukarrib Sabaeorum nomine Karibailu Watar ex Minaeis aliisque gentibus Minaeis vel finitimis vel cognatis reportata agitur. Minaeos quidem a Sabaeis prorsus subactos esse etsi ex ea inscriptione non apparet, quoniam tantum de una victoria magna agitur, tamen paulo post regnum Minaeum interisse videtur. — Praeterea inscriptiones Minaeae exstant, unde urbes Minaeorum, ut Našk et Jathil, dicionis Sabaeorum fuisse perspicimus, quamquam nullum vestigium belli inter duos populos gesti novimus, et aliae inscriptiones, ubi dii Sabaeorum invocantur, quamquam in locis, quae Minaei incolebant, inventae sunt, unde regnum Minaeum a Sabaeis subactum esse colligas. — Inde quoque, quod Minaei et Sabaei, quamquam per saecula finitimi erant et crebra bella mutua gerebant, in inscriptionibus suis inter se rarissime commemorant, effici videtur eorum regna non eiusdem fuisse aetatis. Hîc imprimis inscriptio Glas. 1359/60, quae exeunte secundo a. Ch. n. saeculo orta est*, magni est momenti. Inde cognoscimus in omnibus terris et inter omnes reges bella exstitisse; cum autem tantum reges Saba' et Dhû-Raidân, reges Ḥadhramôt et Ḳatabân commemorentur, reges Ma'în non commemorentur, regnum Ma'în iam dudum interisse colligendum est.** — Neque in inscriptionibus Assyriis octavi a. Ch. n. saeculi regni Minaei ulla fit mentio. Immo vero ex iis cognoscimus Assyrios ob id unum regno Minaeo tum bellum non intulisse, quod iam non fuit aut periturum erat, cum ad provincias in Arabia septentrionali sitas, de quibus solis in illis inscriptionibus sermo esse dicitur, iam nihil pertineret. Ex iisdem textibus perspicimus regnum Sabaeum paulatim exstitisse, propterea quod regnante Sargon II (anno 715) ex principibus tributariis It'i-amara nondum „rex", sed tantum „Sabaeus" appellatur, cum Zabibê iam anno 738 „regina" terrae Aribi nominetur. Opinionem hoc textu Assyrio de Sabaeis Arabiam meridianam incolentibus agi, quippe cum nomen It'i-amara sub forma Ith'i-amara in inscriptionibus quoque Arabiae meridianae inveniatur, complures viri docti minime probandam esse existimant; nam

* E. Glaser, Die Abessinier in Arabien und Afrika 72.

** De iis inscriptionibus, ubi Minaei et Sabaei inter se commemorant, E. Glaser in Skizze I. c. 4 agit.

inscriptiones Assyrias octavi saeculi ad Sabaeos in Arabia septentrionali habitantes referendas esse non modo per se verisimile esse, sed etiam inde apparere, quod Saba semper unâ cum aliis gentibus Arabiae septentrionalis (Masai, Temai, Aribi) nominetur, formâ autem nominis Ith'i-amara in Arabia meridiana inventâ vix iure contra id pugnari posse. — Accedit, ut in antiquiore historia Israelitarum saepius de pugnis cum *me'ûnîm* (= Minaeis) factis agatur, ut 2 Chr 20, 1 LXX (regnante Josaphat), 2 Chr 26, 7 (regnante Azarja), 1 Chr 4, 41 Qerê (regnante Hizkija). — Praeterea lingua Minaeorum et grammaticae et scripturae ratione habitâ aetate superior est quam lingua Sabaeorum. — Denique respiciendum est apud scriptores Graecos et Romanos regnum quidem Sabaeum, sed non regnum Minaeum commemorari et in Arabum quoque litterarum monumentis Minaea locorum nomina prorsus ignota esse, cum nomina urbium Sabaeorum omnia fere servata sunt.*

At quamquam sententia illa regnum Minaeorum ante regnum Sabaeorum fuisse his et aliis causis commendatur, tamen nihil aliud est nisi opinio nondum explorata, propterea quod pro sententia quoque ea regna eodem tempore fuisse complures causae haud spernendae afferri possunt. Atque quod scriptores Graeci et Romani regnum quidem Sabaeum, sed non regnum Minaeum commemorant, inde minime efficitur regnum Minaeorum prius fuisse, quoniam ab alteris (ut ab Agatharchide et Theophrasto) nihil nisi reliquiae ad memoriam nostram pervenerunt, alteri autem (ut Plinius, Strabo, auctor Peripli maris Erythraei) plerumque quae aequales dixerunt, afferunt. Eratosthenes vero (275—194 a. Ch. n.) sententiam illam regnum Minaeum ante regnum Sabaeum fuisse minime probare dicitur; nam cum eo loco, ubi de regnis Arabiae meridianae agit (apud Strab. 16, 4, 2), tempore praesenti utatur, haud dubie sua aetate regnum Minaeorum fuisse testari; neque quae de Minaeis et Sabaeis tradit, ab inscriptionibus Arabiae meridianae abhorrere, neque ullum vestigium exstare, quo eum errasse i. e. vera et falsa confudisse indicetur.** Atque quod Ptolemaeus, qui

---

* O. Weber (MVAG, VI, 1 [1901] 1—43: Das Alter des minäischen Reiches) quidquid opinioni a E. Glaser prolatae favere videtur, collegit.

** Ex mea opinione non modo poni potest ab Eratosthene antiquiores auctores excerptos esse, quoniam bibliothecae Alexandrinae praeerat, sed etiam eum ipsum errasse i. e. vera et falsa confudisse. In textu Eratosthenis, quem Strabo memoriae nostrae tradidit, de Minaeis, qui ἐν τῷ πρὸς τὴν Ἐρυθρὰν μέρει habitant, agitur. Ad quod E. Glaser adnotat terram, quam Minaei antiquis temporibus incolebant (Dschôf, Arabiae meridianae), nequaquam ad mare rubrum (Erythraeum) sitam fuisse, regionem autem inter Dschôf et mare rubrum sitam aetate Eratosthenis a posteris antiquorum Minaeorum incoli potuisse. Praeterea respiciendum est Eratosthenen caput Minaeorum tantum πόλιν μεγίστην, caput autem Sabaeorum μητρόπολιν, caput Katabanorum βασίλειον, caput Ḥadhramotitarum πόλιν (κατ' ἐξοχήν) appellare. Denique ex verbo μοναρχοῦνται, quod ad omnes quattuor terras pertinet, colligi non potest aetate Eratosthenis terram Minaeorum regnum sui iuris fuisse. Utut autem de veritate earum rerum, quas Eratosthenes tradit, iudices, id quidem constat eum non diligenter eas res tradidisse atque fortasse eas diligenter tradere aut non potuisse aut noluisse. Quidquid autem scriptores posterioris aetatis memoriae produnt, id omne ad Eratosthenen referendum est.

secundo p. Ch. n. saeculo scripsit, Sabaeos a Minaeis meridiem versus habitare dicit et omnium gentium Arabiae meridianae Minaeos solos μέγα ἔθνος nominat (6, 7, 23), regnum Minaeum circa annum a. Ch. n. 800 a Sabaeis deletum esse non potest. Eorum caput Καρνὰν βασίλειον appellat (6, 7, 34).* — Sunt, qui existiment sarcophagum quoque Minaeum, qui aetatis Ptolemaeorum (probabiliter aetatis Ptolemaei II Philadelphi, 285—247 a. Ch. n.) est, et inscriptionem Minaeo-Graecam in insula Delos inventam, quae secundi a. Ch. n. saeculi est, a sententia ab E. Glaser prolata abhorrere, propterea quod secundum inscriptionem illius sarcophagi Minaei aetate Ptolemaeorum aromata templis Aegyptiis attulerunt, in inscriptione autem illa bilingui de ara deorum Minaeorum honoris causâ exstruenda sermo est, ut lingua et cultus Minaeorum usque ad secundum a. Ch. n. saeculum (neque dubie etiam postea) permanserint. — Quod E. Glaser putat, cum nullos nummos Minaeos, a quinto autem a. Ch. n. saeculo nummos Sabaeos habeamus, regna Minaeorum et Sabaeorum eodem tempore esse non potuisse, respiciendum est inde nihil aliud effici nisi Minaeos non fuisse aequales „regum Saba' et Dhû-Raidân" i. e. secundo a. Ch. n. saeculo regnum Minaeum iam non fuisse. — Neque recte dicitur in inscriptionibus Minaeorum et Sabaeorum mutuas eorum populorum mentiones desiderari. Unum hoc verum est Sabaeos in inscriptionibus Minaeis et Minaei in inscriptionibus Sabaeis raro nominari, quod et infestis eorum animis et eo explicatur, quod in iis textibus, qui ad memoriam nostram pervenerunt, raro de rebus gestis, plerumque tantum de aedificiis et de rebus ad cultum pertinentibus agitur. — Neque quia Minaei in inscriptionibus Assyriis omittuntur, idcirco, cum ea litterarum monumenta conscripta sunt, iam exstincti erant, sed regnum Minaeum vel post illud tempus vel paulo antea exsistere coepit, unde apparet duo regna eodem tempore fuisse. — Item ex inscriptione Minaea Glas. 1155 effici non potest regnum Minaeum ante regnum Sabaeum fuisse. Neque enim ullo modo verisimile esse dicitur illam inscriptionem ex aetate regum Hyksos aut e tertio decimo vel undecimo saeculo repetendam esse. Neque demonstrari potest eam circa annum a. Ch. n, 525 ortam esse. — Denique ex nonnullorum (ut D. H. Müller, J. H. Mordtmann) opinione falso inscriptiones Minaeae ratione grammaticae et scripturae habitâ textibus Sabaeis antiquiores esse putantur. Immo vero inscriptiones Minaeae antiquissimis textibus Sabaeis recentiores, textibus Sabaeis posterioris aetatis antiquiores sunt. Cum porro antiquissimi textus Sabaei bûstrophêdon scripti sint atque antiquissimas litterarum formas exhibeant, tantum unum textum Minaeum (Hal. 201/3) bûstrophêdon scriptum novimus. Quod autem in inscriptionibus Minaeis nonnullae antiquiores litterarum formae inveniuntur, tamen hae inscriptiones recentiores esse possunt quam inscriptiones Sabaeae, quia antiquiores formae usque ad extrema tempora conservatae esse potuerunt. Neque vero diiudicari posse dicitur, utrum textus Sabaei et Minaei in usu loquendi congruentes eiusdem aetatis sint necne. Fortasse dialectus Sabaea celerius mutata est quam dialectus Minaea, quae antiquiora vocabula servavit.**

---

* E. Glaser scriptores Graecos tantum notitiam *gentis* Minaeorum, non *regni* Minaeorum habuisse putat.

** Quae pro opinione regna Minaeorum et Sabaeorum eodem tempore fuisse dicta sunt, ea J. Tkač in *Paulys* REclAW², 2. Reihe, 2. Halbband (Stuttgart 1920) 1504—1511 diligenter collegit. — Ceterum sunt, qui regnum Sabaeum ante regnum

Utut res se habet, unum hoc manifestum est quaestionem de aetate regni Minaeorum ad vetus testamentum maxime pertinere. Nam si regnum Minaeorum ante regnum Sabaeorum fuit, cui opinioni adstipulandum esse censeo, multae similitudines cultus atque humanitatis Israelitarum et Arabum antiquorum non ab octavo demum a. Ch. n. saeculo, sed iam pluribus saeculis ante repeti possunt. Inde intellegitur omnes viros doctos, qui doctrinas scholae criticae de origine Pentateuchi sequuntur, id aspernari. Interim exspectandum est, ut opinio regnum Minaeorum regno Sabaeorum antiquius fuisse procedente tempore magis magisque confirmari possit.

De regnis Katabanorum et Ḥadhramotitarum

Katabanos et Ḥadhramotitas genti (non regno) Minaeorum, quorum dialecto quoque utebantur, se adnumerasse ex propinquitatis vinculis regum Minaeorum et Ḥadhramotitarum (in inscriptione Hal. 193 duo reges Ḥadhramotitarum propinqui regis Minaeorum Abî-jadi'a Jathu' esse dicuntur) atque ex inscriptionibus Katabanicis, in quibus titulo „rex Ḳatabân" nonnunquam verba „et Ma'ân" addita sunt, cognoscimus.

Cum haud multi textus Katabanici et Ḥadhramotici ad aetatem nostram pervenerint, de duobus iis regnis nisi coniecturas vix quidquam proferre possumus. Illud quidem constat eodem tempore quo regnum Ma'în fuisse, quoniam eorum in textibus Minaeis mentio fit. Sed tum quoque, cum regnum Ma'în iam perierat, permanserunt atque in historia Sabaeorum usque ad extrema tempora magni erant momenti. Nam cum ture et myrrhâ abundarent (Eratosth. apud Strab. 16, 4, 2), ad commercium incolarum Arabiae meridianae magnopere pertinebant.

Videas M. Hartmann, Die arabische Frage 164—175. D. Nielsen, Handbuch I, 97—104.

1. Katabania (in inscriptionibus קתבן Hal. 233, 2; 504, 15. Καταβανία, Theophrast. Hist. plant. 9, 4, 2: Κιτίβαινα, var. Κατάβαινα, Arab. *Ḳatabân*)[1] in ea parte paeninsulae Arabicae, quae ad meridiem et occidentem vergit, sita erat atque septentriones et orientem versus usque ad Wâdi Ḥarîb (a Marjab, capite Sabaeorum, meridiem et orientem versus) et Wâdi Baiḥân el-Ḳaṣâb patuisse videtur. Eius situs accuratius describi non potest, ne ex inscriptionibus quidem Katabanicis ab E. Glaser inventis. Nam quod E. Glaser inscriptiones Katabanicas inter Marjab et Ṣabwat, capite Ḥadhramotitarum, in Berâḳiš, inventas

Minaeum fuisse dicant (J. H. Mordtmann, alii). At M. Hartmann (OLZ, X, 1907, 431) eodem tempore et regem Minaeorum et regem Katabanorum et principem sacerdotalem Sabaeorum quondam fuisse demonstravit. Quare nihil est, cur reges Sabaeorum prius fuisse quam reges Minaeorum putes.

esse dicit, inde non efficitur ibi sedes Katabanorum quaerendas esse, cum ex inscriptione Hal. 504 Katabanos aetate regis Minaeorum Waḳah ʾil Jathuʿ procul a patria fuisse appareat; neque quidquam obstat, quin eorum terra πρὸς τὰ στενὰ καὶ τὴν διάβασιν τοῦ ʾΑραβίου κόλπου (Eratosth. apud Strab. 16, 4, 2) quaeratur. Item incertum est, ubi caput (βασίλειον) Tamnaʿ (in inscriptionibus תמנע, apud Strab. l. c. Τάμνα) situm fuerit. A. Sprenger existimat Tamnaʿ eandem urbem esse atque Θούμνα (apud. Ptolem. 6, 7, 37), quam inter Marjab et Šabwat quaesivit. E. Glaser initio arbitratus est Tamnaʿ vel cum Dumnat Dschabâ vel cum Dumnat Ḫadîr (a Dschebel Ṣabir meridiem et orientem versus sita et quidem in via, quae a Ṣurra [Raida] in Taʿizz fert) aequandam esse; postea putavit Tamnaʿ in Wâdi Baiḥân el-Ḳaṣâb, accuratius in Wâdi Ablaḥ, a regione Jâfiʿa septentriones et orientem versus quaerendam atque cum Τάμνα Eratosthenis, Θούμνα Ptolemaei, Thomna et Thomala Plinii (6, 28, 153; 12, 14, 64. — 6, 28, 154) componendam esse. Secundum *C. Landberg* Tamnaʿ in regione Ḫarîb, in planitie prope Wâdi Ablaḥ, in qua media mons Ḫaid Wadhû assurgit, sita erat. *F. Hommel* eam urbem a Marjab inter meridiem et ortum solis, *M. Hartmann* a Jerîm orientem versus, alii a Marjab inter meridiem et occidentem atque a Ruʿain occidentem versus sitam esse existimant. Urbe Tamnaʿ cum Timnaʿ a Marjab meridiem et orientem versus sita aequata quaestio illa, ubi caput Katabanorum situm fuerit, simplicissime solvi videtur. A Timnaʿ haud ita multum meridiem versus *Ḫarîb,* ab ea orientem versus castellum montanum *Raidân* situm erat. Memoratu digna est urbs *Nagia* (in inscriptionibus *Nagiʾu*) iter diei fere a Marjab distans.[2] [Urbs *Marjamat* (in inscriptione Rehatsek), quae a scriptoribus antiquis nonnunquam cum Marjab permutata est, cum Μαρίμαθα Ptolemaei aequanda esse videtur. Nomen Katabania num in nomine oppiduli *Ḳaʿṭaba* inter Jerîm et Ibb siti servatum sit, incertum est.

Principes Katabanorum (Strab. 16, 4, 2: Καταβανεῖς, Ptolem. 6, 7, 24: Κοτταβανοί, var. Κοταβανοί, Plin. 5, 11, 65: Cattabanes; 6, 28, 153: Catapani) antiquioribus temporibus Mukarrib sive principes sacerdotales, postea reges se nominabant. Qualis autem apud eos fuerit forma regnandi, ex inscriptione Glas. 1606 cognoscimus. Medio fere saeculo a. Ch. n. ultimo Katabanorum regnum cum regno Raidân nuper orto coniunctum est. Neque enim in inscriptionibus, quae post annum a. Ch. n. tricesimum ortae sunt, iam commemoratur.

[1] Postea pro nomine Katabania nomen *Gebban* usurpatur. Plinius (6, 28, 153;

12, 14, 63) Katabanos *Gebbanitas* appellat. Quo nomine eum non tribum quandam Minaeam *Gab'ân* significare inde apparet, quod eos regem, qui urbe Thomna sede stabili utatur, habere dicit (12, 14, 64).

[2] Urbs quaedam nomine *Nagaju* (scriptum est *Ngj* pro *Ng'*) in inscriptione quoque Ṣirwâḥ 1, 2. 5 commemoratur. Item in regione Ḥadhramotitarum locus quidam nomine *Naga* situs erat.

Regio Auśân a Katabania ad meridiem et occidentem spectans (ubi adhuc tantum duae inscriptiones inventae sunt) primo regnum sui iuris, postea pars Katabaniae fuit. Eius in inscriptione Ṣirwâḥ mentio fit. Regi tum regnanti nomen Martûwum erat. Summus deus ʿ*Audum*, qui deus lunae fuisse videtur, colebatur. Quare incolae *aulâd* ʿ*Audim* (= filii ʿAud) nominantur. E. Glaser Azaniam (Ἀζανίαν) quoque i. e. oram Africae orientalis a paeninsula Somali usque ad Sansibar pertinentem, cuius et in Periplo maris Erythraei et apud Ptolemaeum mentio fit, coloniam Katabanicam esse putat. Meridiana eius pars *Ausinitis* appellabatur. Conferas *F. Hommel,* EGAO 657—662.

2. Ḥadhramôt (Χατραμίς, Χατραμὶς γῆ, Χατραμῖτις, apud Strab. 16, 4, 2: Χατραμωτῖτις, apud Arabes *Ḥadhramaut* vel *Ḥadhramût*)[1] est regio ad mare Arabicum inter terram Jemen et terram Mahra[2] sita, turis, myrrhae, aloës feracissima, sed barbara dialecto et aëris insalubritate famosa; unde nomen „atrii mortis“ (*Ḥaṣarmâvet* Gn 10, 26 = 1 Chr 1, 20)[3] accepit (ex aliorum opinione propterea quod calidus quidam fons sulfuratus nomine *Bir Barhut* ex inferis erumpi putabatur). Quam regionem antiquis temporibus maxime floruisse multis ruinis demonstratur; idem inscriptiones Arabiae meridianae et geographi Arabici, imprimis Hamdânî, testantur. Eius caput a veteribus Šabwat (Osiand. 29 חנרן שבות = urbs [caput] Šabwat), in Periplo maris Erythraei 27, apud Strabonem 16, 4, 2, apud Ptolemaeum 6, 7, 38 Σάββαθα, Σάββατα, Σάβατα, apud Plinium 6, 28, 155; 12, 14, 52 et 63 *Sabota*[4], hodie *Šabwa* appellatur, quae urbs monumentis cum inscriptionibus abundat. Eius nomen in nonnullis codicibus Strabonis corrupte traditum est: Χαβάτανον, Χατάβανον, Κατάβανον. Nam cum Arabicum ṣ Graece litterâ σ reddatur, in iis codicibus error ponendus est. Vera nominis forma haud dubie est Σαβατα(ν), quippe quae nomini Šabwat, quod in inscriptionibus Arabiae meridianae atque apud geographos Hamdânî et Jâḳût invenitur, respondeat. Hamdânî Šabwat urbem inter Baiḥân et Ḥadhramôt sitam esse dicit atque Plinius urbi Sabota sexaginta templa fuisse (6, 28, 155) indeque tus collectum in alias terras

transportatum esse (12, 14, 63) memoriae prodit.[5] Nomina maximorum locorum huius aetatis, *Šibâm* et *Teṛîm*, antiquissima sunt. Incolas terrae Ḥadhramôt Plinius modo Chatramotitas (6, 28, 154 et 161), modo Atramitas (6, 28, 155; 12, 13, 52) nominat. Nonnulli autem scriptores antiqui Chatramotitas ab Atramitis disiungunt. Velut Ptolemaeus Ἀτραμιτῶν, var. Ἀδραμιτῶν, eorumque emporii *Kane* mari adiacentis et ab iis septentriones versus Χατραμονιτῶν, pro quo nomine Χατραμωτιτῶν legendum est, mentionem facit (6, 7, 10. 25 s.). Quod fortasse ita explicatur, ut incolae terrae Ḥadhramôt Ḥadharema et Ḥadharebe nominati sint. Sunt quoque, qui Atramitas ab Adramitis distinguendos esse existiment. Rursus alii omnem distinctionem illarum gentium negant. Ex nonnullorum opinione tribus ex Joktan oriunda nomine Hadôrâm (Gn 10, 27 = 1 Chr 1, 21) eadem gens est quae Ἀδραμῖται Ptolemaei et Atramitae Plinii ad meridianam oram Arabiae inter Homeritas (Himjaritas) et Sachalitas habitantes. Circa annum a. Ch. n. 300 regnum Ḥadhramôt cum regno Sabaeorum coniunctum est.

[1] Nomen gentilicium est *Ḥadhramî*, plur. *Ḥadhârim*.

[2] Terra Mahra turis feracissima (χώρα λιβανωτοφόρος) cum capite Μάρα (Ptolem. 6, 7, 37) a Ḥadhramôt orientem versus sita est. Ante Christum natum *Ḥabaš* quoque vel *Abasene* appellabatur. Est patria Semiticorum Abessiniorum et Amhariorum (*Amhâr* pluralis nominis *Mahra* esse videtur). Ex inscriptionibus autem Arabiae meridianae ad hoc tempus cognitis de ea terra nihil cognoscimus.

[3] In tabula gentium Ḥaṣarmâvet inter Joktanidas numeratur. F. Hommel (EGAO 554) *Ḥaṣramôt* (plur. fem. vocabuli *Ḥaṣram*) pro Ḥaṣarmâvet legendum esse putat. Idem (ib. 655) opinionem nomen Ḥadhramôt cum Ḥaṣramôt aequandum esse non satis constare existimat.

[4] Ex nonnullorum opinione *Sabtâh* (Gn 10, 7 = 1 Chr 1, 9) eadem urbs est atque Sabota. E. Glaser autem (Skizze II, 252) eam cum Σάφθα ad sinum Persicum sita, cuius Ptolemaeus mentionem facit, aequandam esse putat.

[5] A. Sprenger, Die alte Geographie Arabiens 161 s.

Terra Ḥadhramotitarum antiquorum maior erat quam Ḥadhramôt huius aetatis, quae oram maritimam ab ʿAin Bâmaʿbad usque ad Saihout (Sê Hûd) pertinentem cum regione montuosa a mari remota usque ad desertum Dehnâ porrecta comprehendit. In longitudinem 12—1500 km, in latitudinem circiter 190 km patet. Recentioribus temporibus nonnulli homines Europaei itinera in Ḥadhramôt fecerunt partesque eius pervestigaverunt.

Conferas L. W. C. van den Berg, Le Ḥadhramoût et les colonies arabes dans l'Archipel Indien (cum tabula geographica) Batavia 1886. C. Landberg, L'Arabie méridionale. Vol. I. Ḥadhramoût. Leide 1901. Videas etiam tabulam geographicam

a *M. J. de Goeje* (in Revue internationale II, 1886) et ab *Imâm Sharif Khan Bahadur* (in *Th. Bent*, Southern Arabia, London 1900) delineatam.

Adnotatio. — Incolas Arabiae antiquae iam antiquissimis temporibus ad magnam humanitatem atque cultum pervenisse non solum inscriptionibus, sed etiam ruinis templorum, arcium, aggerum, imprimis magnificis ruinis urbis Marjab demonstratur.* In valle supra eam sita etiam nunc reliquiae aggerum olim magnos lacus includentium manent, quibus perruptis urbs interiit. Ceterum cultum profanum Arabum antiquorum cum Babyloniorum cultu profano artissime cohaerere inscriptionibus clare ostenditur. Atque totam Arabiam, postquam Narâm-Sin, rex urbis Agade (2557—2520 a. Ch. n.), eius principes et gentes subegit, cultui atque humanitati Babyloniorum obnoxiam fuisse etiam ex Arabum iure perspicimus. Imprimis eorum de matrimonio et familia leges iuri antiquorum Babyloniorum similes sunt. Sed Aegyptii quoque, cum iam antiquissimis temporibus paeninsulam Sinaiticam possiderent et iam temporibus antiqui regni expeditiones per mare rubrum in terram Punt fecissent, quin ad incolas Arabiae vehementer pertinuerint, dubium esse non potest. Num Minaei in Arabiam meridianam immigrantes ibi iam homines, qui quendam cultum atque humanitatem assecuti erant, invenerint, ex monumentis antiquis non cognoscimus.

De moribus Arabum in sacris litteris pauca dicuntur. Nomades Arabici latrociniis assueti saepius commemorantur (Jdc 6, 3—5; Job 1, 15; 2 Chr 22, 1; Jer 3, 2: „sicut Arabs [Vulg. *latro*] in solitudine“ i. e. sicut Arabs latrociniis intentus). Moabitas et Midianitas Israelitas ad cultum obscenum dei Baʿal Peʿôr seduxisse Nm c. 25 memoriae proditur. Arabes antiquis temporibus in promissis fidissimos homines existimatos esse Herodotus Hist. 3, 8 tradit.

Imprimis sapientia „orientalium“ i. e. Arabum unâ cum Aegyptiorum celebratur, quam tamen Salomo superasse dicitur (1 Rg 5, 10 = Vulg. 4, 30). Regina quoque Saba aenigmatum scientiâ eminebat (1 Rg 10, 1 = 2 Chr 9, 1). Item Edomitae propter sapientiam praedicantur. Nomina virorum sapientium Ethan, Heman, Kalkol, Darda (1 Rg 5, 11 = Vulg. 4, 31) non Hebraicae, sed Edomiticae originis sunt. Reliquias sapientiae Arabum capita 30 et 31, 1—9 libri Proverbiorum, quae ad ʾAgur ben Jake ex Massa et matrem Lemuel, regis Massa, referuntur, continent. Massa inter tribus, quae ab Ismael originem ducunt, commemoratur (Gn 25, 14 = 1 Chr 1, 30). Ut „verba sapientium“, quae Prov 22, 17—23, 11 continentur, ex nonnullorum opinione ab Aegyptia collectione proverbiorum („doctrina Amen-em-ope“) repetenda sunt, ita capita quoque 30 et 31, 1—9 libri Proverbiorum e lingua Massaitarum conversa esse videntur.

---

* Abu Muḥammad al-Hamdânî in opere „Iklîl“, ex cuius decem libris duo ad nos pervenerunt, ruinas Arabiae meridianae descripsit. Videas etiam D. H. Müller, Die Burgen und Schlösser Südarabiens nach dem Iklîl des Hamdânî. Wien I, 1879. II, 1881.

Pars posterior

De antiquorum Arabum cum religione Mosaica rationibus

Praenotanda

1. Ad Israelitarum de religione opiniones ac caerimonias recte intellegendas comparatio religionum gentium cognatarum et finitimarum multum confert. Quod imprimis in antiquos Arabes cadit, quippe qui sine tectis ac sedibus passim vagantes et ab aliis gentibus vix quidquam receperint et antiquas de religione opiniones ac caerimonias purissime servaverint. Accedit, quod iis cum Israelitis summum erat commercium. Ex inscriptionibus autem de religione antiquorum Arabum tantum pauca cognoscimus. Nam quamquam circiter septem milia inscriptionum in Abessinia, Arabia meridiana et septentrionali inventarum, quibus tempora circiter ab anno a. Ch. n. millesimo usque ad aetatem Muhammed pertinentia illustrantur, habemus atque quamquam omnes fere inscriptiones diis dedicatae sunt i. e. in religione versantur, tamen ad unam eandemque formam scriptae sunt et imprimis nomina deorum hominumque continent. Mythi autem, hymni, textus rituales adhuc nondum inventi sunt. Quae cum ita sint, de religione antiquorum Arabum tam pauca novimus, ut in libro, in quo *J. Wellhausen* de illa agit, non religio antiquorum Arabum, sed tantum reliquiae gentilitatis Arabicae describantur, id quod ipsâ eius inscriptione „Reste arabischen Heidentums“[2] (Neudruck. Berlin-Leipzig 1927) significatur.* Item in sacris litteris vix quidquam nisi nomina deorum traditur. Ex nominibus quoque Arabum, quorum in textu sacro mentio fit, fortasse nonnulla deorum nomina erui possunt, velut ex nominibus Zabdiel (1 Mcc 11, 17) et Emalkuel (ib. v. 39). Ex Arabum ritibus sacris tantum memoratur mos dei Orotal honoris causâ extremos capillos in orbem praecidendi (Herod. Hist. 3, 8. cf. Jer 25, 23; 49, 32), quod Israelitae

---

* Ceterum J. Wellhausen inscriptiones recentiore aetate in Arabia inventas non respexit. — Conferas *Th. Nöldeke* in ZDMG, XLI, 1887, 707—726.

facere lege Lv 19, 27 vetantur. Haud pauca autem de religione antiquorum Arabum ex Ḳorân et poetis, qui ante Muhammed fuerunt, cognoscimus.

Videas E. Osiander, Studien über die vorislamische Religion der Araber (ZDMG, VII, 1853, 463—505). L. Krehl, Über die Religion der vorislamischen Araber. Leipzig 1863. F. Hommel, Die altisraelitische Überlieferung in inschriftlicher Beleuchtung. München 1897. D. Nielsen, Die altarabische Mondreligion und die mosaische Überlieferung. Straßburg 1904. F. Hommel, Der Gestirndienst der alten Araber und die altisraelitische Überlieferung. München 1901. M. J. Lagrange, Études sur les religions sémitiques[2]. Paris 1905. M. Hartmann, Die arabische Frage (p. 11—17: Das religiöse Leben Südarabiens). S. Landersdorfer. Die Bibel und die südarabische Altertumsforschung[3] (BZF, III, 5—6. p. 22—27: Die religiösen Anschauungen der Südaraber). W. R. Smith, Lectures on the religion of the Semites.[3] London 1927 (Editionem Germanicam procuravit *R. Stübe,* Friburgi 1899). D. Nielsen, Handbuch I, c. 5, p. 177—250: Zur altarabischen Religion. — Alia subsidia litteraria suo loco afferuntur.

2. Quod complures viri eruditi recentioris aetatis haud paucas opiniones caerimoniasque religionis Mosaicae ad exemplum antiquorum Arabum, imprimis Minaeorum (Midianitarum) receptas esse contendunt, non regnum Maʿîn in Arabia meridiana situm, sed provinciam Minaeorum in Arabia inter septentriones et occasum solis spectante sitam, quae in inscriptionibus Arabicis *Maʿân Muṣrân,* in textibus cuneiformibus *Muṣri,* in sacris litteris *Midian* appellatur, intellegunt.

De qua re videas S. Landersdorfer, Die Bibel und die südarabische Altertumsforschung 55—72 (Die religiösen Beziehungen zwischen Israel und Südarabien). D. S. Margoliouth, The relations between Arabs and Israelites prior to the rise of Islam (Schweich Lectures 1921) London 1924. J. Wellhausen quoque (Reste arabischen Heidentums[2] 101—147) cultum Mosaicum cultui antiquorum Arabum similem esse dicit; maximi momenti esse, quod ad similitudinem rerum saepe etiam similitudo nominum accedit. Idem F. Hommel, aliique viri docti iudicant. A nonnullis autem auctoritati Minaeorum in religionem Israeliticam haud dubie nimium tribuitur. Imprimis D. Nielsen in libro, qui „Die altarabische Mondreligion und die mosaische Überlieferung" inscriptus est, demonstrare studet Mosen non solum intellectum dei ex antiquorum Arabum cultu lunae, sed etiam leges et ad religionem et ad societatem vitae pertinentes ab iisdem recepisse, quoniam unusquisque religionis auctor novam religionem religioni aequalium adnectat necesse sit; Muhammed quoque de priore religione annuum ieiunium, festum autumnale, cultum lapidis, alios ritus retinuisse. Alio loco (Handbuch I, 243) existimat, cum Israelitae atque antiqui Arabes et in lingua et in cultu multifariam inter se congruant, patriam non solum Israelitarum, sed etiam religionis eorum in Arabia quaerendam esse. Atque P. Haupt (Midian und Sinai. ZDMG, LXIII, 1909, 506—530) Midian ita interpretatur, ut si recte iudicasset, dubitandum non esset, quin religio Mosaica universa de religione Midianitarum dependeret. Conferas etiam B. Stade, Biblische Theologie des AT I (Tübingen 1905)

28 ss. K. Budde, Die altisraelitische Religion (Giessen 1912) 10 ss. H. Gressmann, Mose und seine Zeit (Göttingen 1913) 431 ss.

Atque in vetere testamento memoriae proditur Israelitas cum Midianitis arte coniunctos fuisse: Moses ex Aegypto in terram Midianitarum ad Jithrô eorum sacerdotem fugit eiusque filiam Zippora uxorem accepit (Ex 2, 15—21).[1] Sub Horeb, sacro monte Midianitarum, Jahve se Mosi revelavit (Ex 3, 1—4, 17).[2] Et cum Ex 18, 19—26 memoriae prodatur Mosen Jithrô soceri consilia, quae ad iuris dictionem pertinebant, secutum esse, conici potest nonnulla quoque praecepta legis Mosaicae ex iure, quo Midianitae utebantur, repetenda esse. Praeterea respiciendum est leges cultus Mosaici in paeninsula Sinaitica ortas esse et cultum a Minaeis exercitatum genti Israeliticae certe non minus notum fuisse quam cultum Aegyptiorum et Babyloniorum idque non solum tum, cum in paeninsula Sinaitica morabantur, sed etiam antea, propterea quod Israelitis in terra Gosen commoran tibus cum incolis paeninsulae Sinaiticae magnum usum fuisse constat.[3] Ac ne illud quidem neglegendum est in ea parte terrae Canaan, quae in meridiem spectat, et apud omnes eas gentes, quae inter mare mortuum et sinum Arabicum habitabant, auctoritatem Minaeorum per saecula multum valuisse. Non mireris igitur, quod in religione Mosaica haud paucae opiniones, leges, caerimoniae inveniuntur, quae etiam apud antiquos Arabes, imprimis apud Minaeos, deprehenduntur.

[1] Moses, cum in terram Midian fugisset (Ex 2, 15), a sacerdote quodam, qui Ex 2, 18 *Reʿû'êl*, Ex 3, 1; 4, 18; 18, 1 s. 5 s. 9 s. 12 *Jithrô* nominatur, exceptus est. Quod *Jithrô-Reʿû'êl* modo Kenita (Jdc 1, 16; 4, 11), modo Midianita (Nm 10, 29) esse dicitur, id inter se non discrepare manifestum est. Et quod Ex 2, 16; 3, 1; 18, 1 „sacerdos Midian" appellatur, religioni illius tribus Midianitarum praefuisse, vix eorum princeps quoque fuisse videtur; nam filiae principis a pastoribus non ita tractari debuerunt, ut Ex 2, 17 narratur. Nomine autem Reʿû'êl (= amicus dei) eum sacerdotem summum deum antiquorum Semitarum *'êl* coluisse significatur. Is Reʿû'êl, qui filiam Zippora Mosi uxorem dedit (Ex 2, 21), haud dubie idem est atque Jithrô, *ḥôtên* i. e. socer Mosis (Ex 4, 18; 18, 1. 5. 8. 12. 14. 27), „sacerdos Midian" (Ex 2, 16; 3, 1; 18, 1). Cum autem Nm 10, 29 (cf. Jdc 4, 11) filius Reʿû'êl nomine *Ḥôbâb** socer *(ḥôtên)* Mosis appelletur, nonnulli Reʿû'êl pro avo Zippora habuerunt, ut *'âb* (Ex 2, 18) avum et *bath* (Ex 2, 21) neptem significaret. Quam vim vocabulis *'âb* et *bath* esse posse concedendum est. At cum necesse non sit ex locis Nm 10, 29 et Ex c. 18 comparatis

* P. Haupt (OLZ, XII, 1909, 164 s.) existimat Ḥôbâb non esse nomen proprium, sed vetus (Edomiticum?) vocabulum, quod socerum, proprie dilectum valeat; in Targum Jeruschalmi II *ḥabîbta* pro Hebraico *ḥôtenet* (Dt 27, 23) usurpari; conferendum quoque esse Hebraicum *dôd* (= dilectum, patruum) atque Arabicum *ḥabîb* (= dilectum, avunculum); *Ḥôbâb* esse formam fâʿal.

colligi Ḥôbâb et Jithrô aequandos esse, immo vero locus Ex 18, 27 repugnare videatur, et cum *ḥôtên* ut vocabulum Graecum γαμβρός fratrem quoque uxoris significare possit*, rectius Ḥôbâb pro fratre uxoris Mosis et Re'û'êl pro nomine soceri Mosis, nomen autem Jithrô (pro quo Ex 4, 18 *Jether* = eminentia, excellentia scriptum legimus) pro nomine magistratus alicuius haberi videtur (conferas Arabicum *Imâm* = praepositum, imprimis sacrorum antistitem). Ita iam Josephus AJ 2, 12. 1 (§ 264) de ea re iudicat: Ἰεθεγλαῖος, τοῦτο γὰρ ἦν ἐπίκλημα τῷ Ῥαγουήλῳ. Ceterum varietas nominum Re'û'êl et Jithrô inde quoque explicatur, quod reges Minaeorum et sacerdotes dei Wâdd ad dignitatem suam significandam duo nomina gerere solebant (cf. Hal. 169, 202. 485. 504). Videas etiam J. Döller in ZkTh XXVIII, 1904, 782.

Ut supra diximus Jithrô a sinu Aelanitico occidentem versus, prope oram paeninsulae Sinaiticae ad orientem spectantem habitavisse videtur. Midianitas, a quibus Moses exceptus est, in Kades Barnea habitavisse, id quod E. Meyer (Die Israeliten und ihre Nachbarstämme 67. Halle a. S. 1906) contendit, in sacris litteris nusquam dicitur. Qui locus cum postea etiam atque etiam nominetur, existimandum est eius in narratione quoque fugae Mosis ex Aegypto mentionem factam esse.

Jithrô hominem Minaeum fuisse iam ex eius nomine apparet, cum in inscriptionibus Minaeorum nomen יתראל exstet, cuius hypocoristicon יתרו est. In inscriptionibus Sabaeorum nomen יתרם=יתרן repertum est (cf. O. Weber in MVAG, VI [1901] 1. p. 29). S. Landersdorfer (Die Bibel und die südarabische Altertumsforschung[3] 60 s.) putat Jithrô sacerdotem dei lunae Wadd fuisse; ipsum nomen esse linguae Arabiae ad meridiem vergentis, ortum ex Jethrôn, hypocoristico pro Watar-ilu, ut F. Hommel docet. Jithrô autem Jahven quoque coluisse ex eius verbis: „Nunc cognovi, quod Jahve maior est omnibus diis" (Ex 18, 11), colligi non potest; nam hîc deos alienos revera esse dici apparet. Ceterum Jahven etiam ab Jithrô cultum esse, quamquam sacris litteris non efficitur, tamen fieri potuit.

[2] Nomine *Ḥôrêb* (= siccus, a radice *ḥârab* = exsiccatus est) Ex 3, 1; 17, 6; 33, 6, in libro Dt 1, 6; 4, 10. al. (excepto loco poetico 33, 2), 1 Rg 8, 9. al. Mal 3, 22; Ps 106, 19; 2 Chr 5, 10 is mons, cui aliter nomen *Sinai* (Arabice *Sinâ, Sainâ, Sinîn*) est (Ex 16, 1; 19, 11. 18. 20. 23; 24, 16; 31, 18; 34, 2. 4. 29. 32; Lv 7, 38; 25, 1; 26, 46; 27, 34; Nm 3, 1; 28, 6; Jdc 5, 5; Ps 68, 9. 18; Neh 9, 13) appellatur (cf. parallelismum Sir 48, 7: בחרב . . . בסיני, ἐν Σινᾷ . . . ἐν Χωρήβ). Uno loco Ex 17, 6 Horeb a Sinai distinguitur; nam Israelitae, antequam in desertum Sinai venirent, in Raphidim prope petram Horeb castra posuerunt. Unde colligendum esse videtur ab altiore tractu montano Sinai distinguendum esse tractum humiliorem septentriones versus porrectum, cui nomen Horeb tribuebatur. Nomen Horeb totum tractum montanum, nomen Sinai eum montem, unde Jahve legem dedit, significare demonstrari non potest. Existimare autem licet Horeb esse nomen a Midianitis (Arabibus), Sinai nomen a Cananaeis (Amoritis), qui ante Midianitas paeninsulam Arabicam incolebant, usurpatum. Pro nomine autem Sinai, cum nomini dei lunae Sin similis sit,** in libro Dt, ubi Israe-

* Etiam in linguis Aramaica et Arabica *ḥatan* (in lingua Akkadica *ḥatânu*) modo socerum, modo fratrem uxoris valet (cf. *ḥâtân* 2 Rg 8, 27).

** Ceterum nomen montis Sinai atque deserti Sin ad nomen dei lunae Sin referendum esse non constat. P. Haupt (ZDMG, LXIII, 1909, 508 s.) id nomen cum vocabulo Hebraico *seneh* (= Akk. *sinû* = rubus) aequat, quod aeque incertum est·

litae gravissime monentur, ut a cultu deorum peregrinorum, imprimis corporum caelestium (4, 19), caveant, nomen Horeb ponitur.

Ubi mons Horeb-Sinai quaerendus sit, in controversia versatur. Nam cum antea in meridiana parte paeninsulae Sinaiticae quaereretur et de uno hoc disceptaretur, utrum *Dschebel Mûsâ* (qui 2244 m supra mare, 644 m supra planitiem er-Râḥa assurgit) an *Dschebel Serbâl* (qui 2052 m supra mare, 1452 m supra Wâdi Fêrân se attollit) intellegendus esset, haud pauci viri docti nostrae aetatis dicunt Ex c. 19 de eruptione montis flammas evomentis agi, et cum in paeninsula Sinaitica tales montes non sint, Sinai extra eam quaerunt idque in tractu montano, qui ab el-ʿAḳaba ad mare mortuum porrigitur. Velut Ch. Beke (Discoveries of Sinai in Arabia and of Midian 226. 440. 475. 495. London 1878) eum cum *Dschebel en-Nûr* a Ḳalʿat el-ʿAḳaba septentriones et occidentem versus sito aequat. At ii montes, quos Sinai esse putant, non sunt montes flammas evomentes. A. Musil (Anzeiger der Wiener Akademie der Wissenschaften, Phil.-hist. Kl. 1911, nr. XIII, 154. The northern Ḥedschâz 269. 296—298) se montem Sinai in Arabia ad septentriones et occidentem vergente in monte ignes eructante *Ḥala-'l-Bedr* (bdr = luna = Sin?), qui ibi inter 27° 12′ latitudinis septentrionalis et 37° 7′ longitudinis orientalis assurgit atque etiam nunc sacer habetur, invenisse arbitratur. At ob id ipsum, quod sacer habetur et ignes evomit, is mons cum Sinai aequandus non est. Neque eius situs narrationibus veteris testamenti convenit, quod idem in opinionem a R. Kittel (Geschichte des Volkes Israel I^{6}, 343—349. Stuttgart-Gotha 1923) prolatam quadrat, qui montem Sinai in regione, quae urbi Kades Barnea circumiacet, quaerendum esse dicit, fortasse in monte *ʿArâif*, quo in ea regione nullus altior est. H. Grimme (Althebräische Inschriften vom Sinai 87—90. Darmstadt-Hagen i. W.-Gotha 1923) quinque locis inscriptionum a W. M. Flinders Petrie anno 1904/5 in *Ṣerabîṭ el-Ḫâdem* inventarum nomen Sinai legendum esse putat, ut Sinai idem sit ac Ṣerabîṭ el-Ḫâdem, ubi antiquissimum templum deae Hathôr et dei Sapdu erat. Meridiem et occidentem versus mons *Umm Ridschlain* assurgit, quem H. Grimme montem revelationis et „montem dei“ esse arbitratur. At ubi sanctuarium Aegyptium erat, ibi certe non est quaerendus is locus, quo religio Jahvae, unius veri dei, qui neminem alium praeter se esse patiebatur, condita est. In qua re cum S. Landersdorfer (Die Bibel und die südarabische Altertumsforschung 62) unum hoc dicendum esse videtur, cum textus biblicus non liqueat, montem dei alibi quoque atque in parte meridiana paeninsulae Sinaiticae quaeri posse, imprimis in ea terra, quo Moses ex Aegypto fugit, i. e. in terra Midian. Nam mireris, quod iam antiquissimus liber de geographia biblica, Onomasticon Eusebii (+ 340), montem Horeb in terra Midian ponit: Χωρήβ, ὄρος τοῦ θεοῦ ἐν χώρᾳ Μαδιάμ. παράκειται τῷ ὄρει Σινᾶ ὑπὲρ τὴν Ἀραβίαν ἐπὶ τῆς ἐρήμου (ed. *E. Klostermann* p. 172 s. Leipzig 1904), quibus verbis Hieronymus adnotat: „Mihi autem videtur, quod duplici nomine idem mons nunc Sinai, nunc Choreb vocetur“. Montem autem Horeb sacrarium sacerdotis Jithrô et rubum ardentem ignem arae fuisse, id quod D. Nielsen (Die altarabische Mondreligion und die mosaische Überlieferung 133) contendit, merum est commentum. Item greges, quos Moses pascebat, victimas sacrarii, ubi Jithrô muneribus divinis fungebatur, fuisse in textu biblico nusquam scriptum legitur. Vix quoque illud existimes Mosen cum gregibus a regione trans sinum Aelaniticum sita usque ad eum montem, qui vulgo Sinai nominatur, venisse et postquam Jahve ibi se revelaverit, rursus ad socerum redisse.

Conferas G. Ebers, Durch Gosen zum Sinai[2] 392—397. Leipzig 1881. A. v. Gall, Altisraelitische Kultstätten 1—22 (III. BZAW) Giessen 1898. M. J. Lagrange, Sinaï biblique (RB, VIII, 1899, 369—392). K. Miketta, Wo lag der Sinai? (Weidenauer Studien III, 1909, 77—123; IV, 1911, 117—145). E. Oberhummer, Die Sinaifrage (Mitteilungen der k. k. Geographischen Gesellschaft in Wien LIV, 1911, 628—641). A. Šanda, Moses und der Pentateuch 358—368 (Alttestamentliche Abhandlungen IX, 4—5) Münster i. W. 1924.

[3] Israelitis in terra Gosen atque in paeninsula Sinaitica commorantibus magnum commercium cum Minaeis fuisse, id quod iam ipsâ Mosis ex Aegypto ad Jithrô sacerdotem fugâ demonstratur, non solum haud pauci ritus sacri et profani, qui apud eos usque ad extrema tempora viguerunt, sed etiam forma Arabica nonnullorum nominum hominum, quae apud eos in usu erant, testantur. Velut nomen *'Aharôn* originis Minaeae est et cum *'Aharân* in inscriptione quadam Minaea in el-'Oela inventa (Eut. 25) aequandum esse videtur. Quod autem nonnulli viri docti (inter quos D. Nielsen et A. Jeremias) 'Aharôn non fratrem Mosis neque omnino hominem Hebraeum, sed sacerdotem Minaeum fuisse contendunt, id a textu biblico prorsus abhorret neque formâ Arabicâ nominis defendi potest. Nomen quoque *Re'û'êl* et nomina *Ṣippôrâ* uxoris Mosis eiusque filiorum *'Eli'ezer* et *Gêršôm* speciem linguae Arabicae referunt. Quod autem T. K. Cheyne (in Encyclopaedia biblica 3206. London 1902) etiam nomen *Môše* originis Arabicae esse et vel „virum ex Muṣri" significare vel „Muši" sonuisse dicit, id textui biblico repugnat. Ceterum conformatio nominum antiquorum Arabum cum nominum conformatione apud Israelitas usitatâ adeo congruit, ut nonnulli (ut H. Derenbourg) Arabes eam ab Israelitis mutuatos esse putaverint, quod tamen aetatis inscriptionum ratione habitâ fieri non potest.

I

Legesne religionis Mosaicae initio dialecto quadam Arabica revelatae atque conscriptae sint

Dictum est, qua lingua Israelitae a maiorum emigratione ex Chaldaea usque ad immigrationem duodecim tribuum in terram Canaan utebantur, eam dialectum Arabicam fuisse, postea demum paulatim linguam et scripturam Canaanaeam (Hebraicam) ab iis receptas esse. Id e forma nominum propriorum, quae apud Israelitas usque ad terram Canaan expugnatam tota fere Arabica esset, apparere, quamquam in ea re respiciendum esset e forma nominum non semper linguam gentis reperiri posse, quia nomina saepe per saecula retinerentur linguâ iam pridem commutatâ. Cum quaelibet gens tum demum linguam alterius gentis reciperet, cum in eius finibus sedem stabilem collocavisset, maiorem numerum nominum cum vocabulis Canaanaeis compositorum

non prius inveniri, quam Israelitae in terram Canaan immigravissent ibique consedissent. Ad hoc Israelitas non modo in terra Gosen commorantes, sed etiam per desertum paeninsulae Sinaiticae migrantes cum incolis Arabiae magnum commercium habuisse.

Ita F. Hommel, AiÜ IX. 120. 228. 275—277. The Expository Times IX, 1897/98, 235 a; XII, 1900/01, 96 b. Etiam EGAO 175 Israelitas aetate iudicum novam accepisse linguam, quae priori eorum cognata fuerit, contendit. Priorem linguam Israelitarum dialectum Arabicam et linguae Minaeorum cognatam fuisse. Cuius prioris linguae vestigia in textu Hebraico veteris testamenti, imprimis in legibus ad cultum pertinentibus (in codice sacerdotali) multa servata esse.

Quae sententia si vera est, sequitur, ut lex quoque genti Israeliticae in deserto commoranti linguâ Arabicâ revelata, totus igitur Pentateuchus primo linguâ et scripturâ Arabicâ confectus, postea demum in linguam et scripturam Canaanaeam (Hebraicam) translatus sit. Neque mirum esset, si omnia vestigia illius dialecti Arabicae procedentibus saeculis e textu Hebraico evanuissent neque inde argumentum contra illam sententiam sumendum esset. Verum sunt, qui eius modi vestigia in antiquioribus textibus Hebraicis reperisse sibi visi sint eaque in proprietate quadam orthographica, quae in lingua Minaeorum usitata esset atque in lingua quoque Moabitarum inveniretur, in lingua autem Cananaeorum-Phoenicum prorsus deesset. Inscriptiones enim Minaeas a Sabaeis cum aliis rebus tum ea differre, quod et longam et brevem vocalem *i* litterâ *h* significarent similiter atque in lingua Germanica littera *h* productionem vocalis antecedentis describeret.[1] Eodem modo in lingua Hebraica interdum litteram *h* pro longa vocali *a* (ut *Milkah* pro *Milkâ; Debôrah* pro *Debôrâ; banah* pro *banâ,* contractum ex *banaja*) et pro longa vocali *e* (velut *jibneh* pro *jibnê,* contractum ex *jibnai*) usurpari. In lingua autem Moabitarum litteram *h* in eius modi quoque locis, ubi in lingua Hebraica non inveniretur, usurpari, verbi causâ in nominibus locorum *Meh-deba'* (Hebr. *Mêdebâ'*) et *Neboh* (Hebr. *Nebô*), ut eorum orthographia ad Minaeam propius accederet quam Hebraica. Sequi, ut Israelitae et Moabitae antea i. e. eo tempore, cum nondum linguam Canaanaeam recepissent, sed dialecto Arabicâ loquerentur, scripturâ quoque Minaeâ pro Canaanaea uterentur. Quam aetatem Israelitis ab aetate Abraham usque ad Josua pertinuisse; neque Moabitis aliam aetatem constituendam esse videri. Ita duplicem quoque formam nominis Abraham explicari; priorem enim formam *Abrâm* fuisse; cum autem pro Abrâm *Abrahm* quoque scriberetur, postea *Ab-raham* exstitisse.[2] Et quod ad

priorem linguam Pentateuchi attinet, imprimis verba Arabica *mân-hû'* „quid (proprie quis)[3] est hoc?" (Ex 16, 15) pro verbis Canaanaeis (Hebraicis) *mî-hû'* (Gn 27, 33) respicienda esse. Quae omnia ad quaestionem illam solvendam, quando antiquiora litterarum monumenta Israelitarum orta essent, maximi esse momenti, quoniam nunc pro certo credere possemus iam aetate Mosis haud exiguas partes libri Genesis litteris mandatas fuisse. Deinde cum Israelitae in terra Canaan consedissent et linguam ac scripturam Cananaeorum recepissent, textus sacros iam scriptos in linguam Hebraicam translatos atque· — quod quidem videretur — aliqua ex parte retractatos esse.[4]

[1] F. Hommel, Das graphische ה im Minäischen und das Alter der minäischen Inschriften (MVAG, II, 3 [1897] 258—272).

[2] Conferas P. Dhorme in RB, N. S. V, 1908, 218 s.

[3] *Mân* apud Hebraeos significat „quis?" (Ps 61, 8). Item apud Aramaeos (Dn 3, 15; Esr 5, 3. 4. 9. cf. G. H. Dalman, Aramäisch-neuhebräisches Handwörterbuch zu Targum, Talmud und Midrasch 240 a. Frankfurt a. M. 1922) et Assyrios (cf. nomen proprium Mannukiramman = Quis est similis Ramman?). Potuit tamen antiquitus etiam significationem „quid?" habere.

[4] Contra quam opinionem scripsit E. König, Hebräisch und Semitisch. Prolegomena und Grundlinien einer Geschichte der semitischen Sprachen (Berlin 1901) 79—95.

II

Opiniones religionis Mosaicae cohaereantne cum religione antiquorum Arabum

1. Ex nonnullorum virorum eruditorum opinione temporibus historiam antecedentibus religionem incolarum Arabiae meridianae paene monotheismum fuisse ex nominibus propriis apud eos usitatis colligendum est.[1] Atque qualis antiquissima Semitarum Arabiae religio fuerit, e nominibus antiquiorum Arabum (antiquorum Semitarum) perspicimus. Quae nomina formâ enuntiati sunt, quo cogitatio quaedam ad religionem pertinens exprimitur. Ita iis nominibus antiquorum Semitarum opiniones religionis traduntur, non quidem eius temporis, quo ii, qui illis nominibus vocabantur, fuerunt, sed multo antiquioris, quoniam nomina ex praeteritis temporibus conservari solent ac plerumque eorum temporum opiniones religionis referunt.[2] Antiquissimâ autem Arabum nomina ea esse videntur, quae cum *'ilu, 'il* (= deus) com-

posita sunt[3], quod vocabulum nomen dei omnium gentium Semiticarum commune et antiquissimum existimandum est, cui initio haud dubie unus quoque deus respondebat.[4] Quae nomina, cum non solum formâ Arabicâ apud Semitas, qui tertio a. Chr. n. millennio in Babyloniam immigraverunt, sed etiam in nominibus Babyloniis (ab antiquissimis temporibus in inscriptionibus Babyloniis) inveniantur, omnium Semitarum antiquorum communia sunt. Id ipsum, quod in iis numen, cuius symbolum luna est, simpliciter *ʾilu, ʾil* appellatur, ita tantum intellegi potest, ut eo purior cognitio dei declaretur, atque ex iis, quae numini illis nominibus attribuuntur, elucet deum summa morum integritate cogitari. Conferas nomina: *jahwi-ʾilu* = est deus, *waddada-ʾilu* = dilexit deus, *rabi-ʾilu* = magnus est deus, *ṣadaḳ-ʾilu* = iustus est deus; *jadhkur-ʾilu* = recordatur deus, *jasmaʿ-ʾilu* = exaudit deus, *kariba-ʾilu* = benedixit deus, *wahaba-ʾilu* = dedit deus; vel formâ conversâ: *ʾilî-jadaʿa* = deus meus scit, *ʾilî-kariba* = deus meus benedixit, *ʾilî-amara* = deus meus iussit, *ʾilî-amina* = deus meus fidelis est, *ʾilî-saʿada* = deus meus fortunavit, *ʾilî-padaja* = deus meus liberavit, *ʾilî-wahaba* = deus meus dedit, *ʾilî-rapaʾa* = deus meus sanavit, *ʾilî-radsawa* = deus meus propitius est, *ʾilî-awwas* = deus meus donavit, *ʾilî-ʿazza* = deus meus est potens, *ʾilî-šaraʿa* = deus meus sancivit.[5] Actiones quoque numinis divini varie describuntur: *ʾilu-bani* = deus creat, *ʾilu-šariḫa* = deus fulget, *ʾilu-japiʿa* = deus lucet etc. Summa intellectûs numinis divini antiquorum Semitarum communis optime nomine *ʾilu-abî* (= deus est pater meus) significatur. Nomina quoque Arabum antiquorum, in quibus pro vocabulo *ʾilu, ʾil* partim significationes cognationis, partim notiones sola mente percipiendae substituuntur, olim puriorem dei cognitionem apud eos viguisse testantur. Atque pro *ʾilî* crebro circumlocutiones synonymicae nominis dei inveniuntur: *abî* = pater meus, *ʿammî* = patruus meus (idem valens quod tutor meus, custos meus), *ḫâlî* = avunculus meus, *aḫî* = frater meus, *sumu-hû* = eius nomen.[6] Sed et alia verba, ut *dhimrî* = praesidium meum, *jithʿî* = salus mea, *nabtî* = splendor meus, *ṣidḳî* = iustitia mea, *wirʾî* = timor meus eadem vi atque *ʾilî* usurpantur. Conferas nomina: *abî-jathuʿa* = pater meus opem tulit, *abî-dhamara* = pater meus custodivit, *ʿammî-ṣaduḳa* = patruus meus iustus est, *ʿammî-jadaʿa* = patruus meus scit, *ḫâlî-amara* = avunculus meus iussit, *aḫî-kariba* = frater meus benedixit, *dhirmî-ʿalaja* = praesidium meum sublime est, *ṣidḳî-amara* = iustitia mea iussit, *wirʾî-amara* = timor meus iussit etc. Ut supra diximus, hominum nominibus crebro antiquas opiniones ad

religionem pertinentes servatas esse constat. Etsi igitur ii, qui nominibus allatis ornati erant, multos deos colebant, tamen ex iis nominibus efficitur apud antiquissimos Arabiae meridianae incolas cognitionem dei multo sublimiorem viguisse, quo de iis, quae in vetere testamento de Melchisedech memoriae produntur (Gn 14, 18), admonemur. Etiam temporibus historicorum fide contestatis sublimis ille dei intellectus antiquorum Arabum permansit, imprimis in his verbis, quae crebro in inscriptionibus inveniuntur: *waddum abum* (= amor, i. e. deus Wadd, est pater) vel: *abum waddum* (= pater est amor).

[1] Ita praeter alios F. Hommel, AiÜ 78—87. D. Nielsen, Die arabische Mondreligion und die mosaische Überlieferung 7 ss. S. Landersdorfer, Die Bibel und die südarabische Altertumsforschung[3] 22—24. J. Theis, Frd. Delitzsch und seine „Große Täuschung" oder Jaho und Jahwe 29 s. Trier 1921.

[2] Conferas E. Nestle, Die israelitischen Eigennamen nach ihrer religionsgeschichtlichen Bedeutung. Haarlem 1876. F. Ulmer, Die semitischen Eigennamen im AT auf ihre Entstehung und Elemente hin untersucht. Leipzig 1901. H, Ranke, Die Personennamen in den Urkunden der Hammurabidynastie. Ein Beitrag zur Kenntnis der semitischen Namenbildung. München 1902. A. Sarsowsky, Die ethisch-religiöse Bedeutung der alttestamentlichen Namen nach Talmud, Targum und Midrasch (Diss.) Königsberg 1904. M. Noth, Die israelitischen Personennamen im Rahmen der gemeinsemitischen Namengebung (Beiträge zur Wissenschaft vom A und NT, 3. Folge, 10. Heft) Stuttgart 1928.

[3] In lingua Arabiae meridianae, quamquam duo nomina *'il* (אל) et *'ilâh* (אלה) promiscue usurpantur, tamen hominum nomina semper cum *'il*, deorum nomina plerumque cum *'ilâh* composita sunt.

[4] E. Renan, cui alii adstipulati sunt, nominis divini omnium gentium Semiticarum communis *('êl, 'ilu, 'il, 'ilâh)* ratione habitâ contendit earum unius dei notionem naturaliter propriam fuisse eamque etiam postea, cum iam polytheismo deditae essent, in multis illis nominibus hominum cum nomine divino compositis servatam esse: E. Renan, Histoire général et système comparé des langues sémitiques (Paris 1855) Livre I. Chap. 1. p. 1—24. F. Hommel, AiÜ p. 80—87. Frd. Delitzsch, Babel und Bibel I[5] (Leipzig 1905) p. 48—50. 74—76. M. J. Lagrange, Études sur les religions sémitiques[3] (Paris 1905) Chap. 2. § 1. p. 70—83. El, le dieu commun, primitif et très probablement unique des Sémites.

Sunt, qui putent in omnibus linguis gentium Semiticarum eo tempore, quo eae polytheismo deditae erant, vocabula *'êl, 'ilu, 'il, 'ilâh* (= deus) et *'ilât* sive *'ilâhat* (= dea) non solum nomina appellativa cuiuslibet dei vel deae, sed etiam nomina propria certi cuiusdam dei vel deae fuisse, qui (quae) unâ cum aliis diis vel deabus nominetur et colatur. Eius rei exempla esse inscriptionem Hadad (priore parte octavi a. Ch. n. saeculi ortam et anno 1890 in Syria septentrionali inventam) lin. 2. 11. 18 et inscriptionem Panammu (aetate regis Tiglat-Pileser III confectam et anno 1888 effossam) lin. 22, ubi dii *Hadad, El('il), Rešef, Rekubel, Šamaš* nominantur (M. Lidzbarski, Handbuch der nordsemitischen Epigraphik 440—442. Weimar 1908). Etiam in Arabia

meridiana 'il deum proprium cultum esse inde apparere, quod in inscriptione quadam (Hal. 150) homo aliquis „servus *(kjn)* 'il et 'Athtar", in alia (Hal. 144) aliquis „sacerdos *(ršw)* 'il et 'Athtar" nominetur (J. Halévy, Inscriptions Sabéennes. JA, Février-Mars 1872, 6. série, tome 19, p. 152—162. J. Hehn, Die biblische und die babylonische Gottesidee 197 s. Leipzig 1913). At ex aliorum opinione 'il locis allatis tantum „aliquem deum", non „universe deum" valere posse ex coniunctione cum 'Athtar elucet (E. König, Geschichte der alttestamentlichen Religion[4] 113. Gütersloh 1924). Videas etiam H. Zimmern in KAT 354. D. S. Margoliouth, The relations between Arabs and Israelites prior to the rise of Islam 17.

[5] Cum vocales in scriptura antiquorum Arabum non significentur, fortasse in nonnullis eorum nominum imperativus pro tertia persona perfecti legendus est, v. c. *ilî awwas* = mi deus, dona!

[6] Nomina hominum cum *sumu-hû* composita in inscriptionibus Minaeorum rarissime, saepe autem in inscriptionibus Sabaeorum *(Sumu-hû-apaḳa, -amara, -kariba, -japi'a, -'alaja, Jadi'a-sumu-hû)* et Katabanorum *(Sumu-hû-watar, Sumaida'* ex *Sumu-hû-jadi'a)* inveniuntur. Cum qua re comparandum est, quo modo vocabulum *šêm* in vetere testamento ad Jahven significandum adhibeatur: Jahve plane *haš-šêm* vel *šemô* nominatur.

Si nomina Babylonia cum nominibus Arabum meridianorum comparamus, in utrisque opinionem illam patefactam reperimus numen divinum omnia bona donare, benedicere et tueri, opem ferre et liberare, omnia procreare et conservare, omnia scire et iustum esse, ei, qui numen cum precibus adit, propitium et misericordem esse, preces eorum, qui eius opem invocant eique serviunt, exorare. Verum in utrisque magnam quoque diversitatem reperimus, propterea quod in nominibus Arabicis nullum fere aliud vocabulum usurpatur nisi *'ilu, 'il,*[1] Babylonia crebro cum deorum nominibus componuntur. Item synonyma ab Arabibus meridianis pro *'ilu, 'il* usurpata, ut pater, patruus, praesidium, praecipue autem eius (sanctum) nomen testantur in Arabibus quondam puriorem dei intellectum fuisse quam in Babyloniis.[2]

[1] Rarissime nomina antiquorum Arabum cum nominibus deorum composita sunt, ut 'Athtar in Abimathtar et Ammiathtar, Wadd in Waddab et Benwadd, Nasr in Rabnasr, Ta'lab in Saadta'lab. Plurimi deorum magnorum, ut Haubas, 'Almâḳu-hû, Sin in hominum nominibus omnino non inveniuntur.

[2] Imprimis ex inscriptionibus in el-'Oela inventis apparet Minaeorum ibi habitantium de religione opiniones sublimes fuisse. Ex diis, quorum in aliis inscriptionibus Minaeis mentio fit, ibi nisi deus lunae Wâdd et (bis) deus Nakrûḥ nemo nominatur.

2. Temporibus historicorum fide contestatis, i. e. a secundo fere a. Ch. n. millennio, apud gentes Arabiae meridianae monotheismus iam prorsus exstinctus erat et in eius locum polytheismus successerat sicut apud omnes ceteras gentes Israelitis exceptis. Is polytheismus et

apud eas et apud Semitas, qui in Babyloniam immigraverunt, cultus rerum naturae, imprimis cultus siderum erat, quae initio interpretes revelationis divinae habebantur, paulatim autem et ipsa ut dii colebantur. Quamquam apud sacerdotes et apud eos, qui sacris initiati erant, opinio unius supra sidera dei diu permansisse existimanda est.

Cultum stellarum ab antiquis Arabibus exercitatum esse nomine *ʿAbd-nagm* (= servus stellae) demonstratur; sed ex stellarum nominibus secundum nonnullos viros doctos solum nomen ʿAthtar (Venus) deum magnum significat. Atque cum Sabaei potentissima Arabiae gens esset neque ulla alia gens Asiae anterioris praeter Phoenices studiosius mercaturas faceret, cultus corporum caelestium a Semitis exercitatus ab eorum nomine *Sabaeismus* appellatus est.

Nomina deorum Arabum meridianorum plerumque appellativa sunt, quibus deo vel deae aliqua proprietas attribuitur. Procedente autem tempore vis nominum evanuit, ut ea in alias linguas transferre difficile sit. Accedit, quod et linguam et scripturam textuum Arabiae meridianae adhuc crebro non intellegimus atque in inscriptionibus Arabiae septentrionalis vocabula inter se non disiunguntur. Quae cum ita sint, multa nomina deorum nobis per longum tempus, nonnulla fortasse semper obscura manebunt.

Deus omnium quattuor gentium in Arabia meridiana habitantium communis est ʿAthtar (עתתר, pronuntiandum est *ʿAstar*), stella Veneris, quae ut apud Moabitas (cf. inscript. Meša regis lin. 17) et nonnunquam apud Assyrios (cf. Ištar generis masculini et feminini), ita apud eos mas est. Atque nomine ʿAthtar deus Veneris vulgo vocatur. Praeterea in inscriptionibus Arabiae meridianae haud pauca nomina inveniuntur, quae nomina vel cognomina Veneris esse novimus, cum eorum vim ignoremus. Eius modi nomina sunt: *Dhu-kbdh*, *Dhu-jhrḳ*, *Dhu-gft*, *Dhu-grb*, alia. Ex inscriptione Osiand. 29,5 ʿAthtar pro patre *Sîn* (rectius *Sijjîn*, nam *S-j-n* scriptum est, cf. OLZ, IX, 1906, 69), dei lunae Ḥadhramotitarum, habitum esse perspicimus.

In regionibus calidis Venus lumine multo clariore quam apud nos fulget. Praebet aspectum parvae lunae, ut Venere lucente et legi et scribi possit. Quare Homerus (Iliad. 22, 318) eam κάλλιστον ἐν οὐρανῷ ἀστέρα vocat et Plinius (2, 8, 37) de ea dicit: „Iam magnitudine extra cuncta alia sidera est, claritatis quidem tantae, ut unius huius stellae radiis umbrae reddantur."

Secundo loco est proprius deus gentilis, deus lunae, qui apud Minaeos Wadd sive *Waddum* i. e. amicus (proprie amor et quidem ex usu loquendi Arabico amor, qui cum verecundia, non cum libidine coniunctus est),[1] apud Ḥadhramotitas Sîn, apud Sabaeos ʾAlmâḳu sive *ʾAlmâḳu-hû*[2] appellatur. Sabaei enim in inscriptione Ṣirwâḥ (Glas. 1000) *walad ʾAlmâḳu-hû* = filius ʾAlmâḳu-hû vocantur. Initio autem eorum deus gentilis deus lunae *Haubas* (= exsiccans, quia luna mari-

norum aestuum accessus et recessus efficit) fuisse videtur, propterea quod ʾAlmâḳu-hû nihil aliud est nisi correptio verborum *Haubas waʾalmâḳu-hû* (= Haubas eiusque exercitus),* quae saepe in fine inscriptionum occurrunt. Quibus verbis de appellatione dei in prophetarum libris frequentissima *jahve ṣebâôth* (= Jahve [deus] exercituum) admonemur. Apud Katabanos stella errans Saturnus (frater dei lunae), deus ʿAmm (= patruus, cum deus lunae cognomine patris appelletur: *Wadd ab* = Wadd pater), pro deo lunae colebatur. Atque Katabanos deum lunae diligentius coluisse quam ceteros Arabes meridianos inde perspicimus, quod eorum reges nomen *Šahr* (= luna) vel cognomen *Hilâl* (= nova luna) gerunt. In inscriptione Glas. 1600 gens Katabanorum *walad ʿAmm* = filius ʿAmm appellatur. Apud Minaeos, qui *awlad(h) Wadd* = filii Wadd nominantur (Eut. 57), atque etiam apud Katabanos deus lunae, cui cognomen *ʾAthir* (=ʾAšur, ʾAšir) erat, uxorem nomine *ʾAthirat* (=ʾAšera, ʾAširtu) habebat, ex qua dea etiam mensis quidam nomen acceperat.** Cognomina lunae praeter *ab* (= pater) et *ʿamm* (quod vocabulum tantum in lingua Arabica posterioris aetatis patruum valere solet, initio autem idem quod *ab* significabat) sunt *khl* i. e. *kahil* = vetus, quod nomen in inscriptionibus Glas. 299 (ex es-Saudâ) et Hal. 237 (ex Maʿîn) invenimus[3], atque *ʾilâh* = deus simpliciter in inscriptione Glas. 284 (ex es-Saudâ).[4] Vocabulum quoque *ʾil* ad deum lunae significandum usurpabatur, quod ex variis nominibus Arabum meridianorum (velut *ʾil-šariḥa* = deus fulget, *ʾil-japiʿa* = deus lucet) perspicimus. Verum nomen dei lunae apud Minaeos est *Šahar,* apud Katabanos *Waraḥ,* quod nomen Hebraico *jârêaḥ* (= luna) respondet. Atque nomina *Waraḥ, Šahar, Sîn,* quibus luna et deus lunae appellantur, in inscriptionibus Arabiae meridianae et septentrionalis atque Abessiniae saepe inveniuntur. Nomen Šahar in linguis quoque Aramaeorum et Syrorum ad significandam lunam adhibetur. Postea luna in lingua Arabica plerum-

* F. Hommel (EGAO 235) nomen ʾAlmâḳu-hû aliter quoque explicat, cum idem esse dicat atque *ʾAlmaḳ-hô.* A vocabulo Akkadico *nimêḳu* (= artificium) verba Arabica *namaḳ, ramaḳ* sive *raḳama* (unde Ital. *ricamare*), *lamaḳa* manare, quae omnia „artificiose texere, acu pingere, scribere" valeant. Cum igitur *hô* „caelum" valeat, vocabulo ʾAlmaḳ-hô „scripturam caeli" i. e. stellas significari. Quam explicationem, cum verbis „scriptura caeli" alibi quoque stellae significentur, F. Hommel verisimillimam esse putat.

** Minaei septentrionales non modo eâdem linguâ et scripturâ, sed etiam iisdem diis atque Minaei meridiani utebantur. Ipsi quoque Wadd summum deum colebant. Conferas D. Nielsen, Über die nordarabischen Götter (OLZ, XXI, 1916, 253—265).

que *ḳamar* nominatur. In omnibus autem dialectis Arabicis luna etiam nunc Šahar appellatur. Animal dei lunae sacrum est taurus, quippe cum eius cornua de cornibus novae lunae admoneant.

[1] H. Grimme (Die weltgeschichtliche Bedeutung Arabiens 30 a) Wadd, quod vocabulum minime, id quod fieri soleat, „amore" reddendum sit, cum Hadad, deo Syrorum, et Addu, deo Cananaeorum, aequandum esse existimat. — Notatu dignum est Muhammed (Ḳorân 71, 22 s.) inter falsa numina, quae iam ante diluvium culta sint, praeter *Suwâʿ*, *Jaghûth*, *Jaʿûḳ*, *Nasr* etiam *Wadd* nominare. Qui clari viri fuisse dicuntur, qui temporibus inter Adam et Noach intercedentibus fuerunt et post mortem ut dii colebantur. Certe constat Wadd pro deo perantiquo habitum esse. Conferas J. Wellhausen, Reste arabischen Heidentums[2] 13—24. — Ḥadhramotitae deum quendam nomine *Al-Galsad* colebant, qui, cum id nomen haud dubie appellativum sit, idem esse potest atque ʿAthtar (J. Wellhausen, l. c. 53—56).

[2] D. Niélsen (MVAG, XIV [1909] 4) אלמקה *Ilmuḳah* legendum esse putat atque id vocabulum Sabaeorum nomen dei lunae intellegit, qui „deus praecepti" i. e. deus oraculorum sit.

[3] F. Hommel (EGAO 136) *khl*, cum id Aethiopico *kehela* aequet, verbis „potentem esse, omnipotens" reddit. At in lingua Arabica *kahil* „vetus" valet.

[4] Conferas Arabicum *Allâh*, quod nomen ex *al-ʾilâhu* (= ὁ θεός = unus verus deus) contractum est. A Judaeis quoque et Christianis huius aetatis, qui linguâ Arabicâ utuntur, deus nomine Allâh vocatur.

Tertio loco numen humile, *šajûm* vel „(a deo) institutus" commemoratur, quod numen apud Minaeos erat *Nakrûḥ* (Chald. *makrû*, Saturnus), apud Ḥadhramotitas *Ḥôl* i. e. Phoenix (Nebo deorum nuntius vel Mars apud Assyrios imagine aquilae expressus), apud Katabanos *ʾAnbaj* i. e. Nebo-Mercurius (cf. Mand. *Enbû* = Nabiu), apud Sabaeos *Taʾlab*, plenius *Taʾlab rijâm baʿal Turʿat* = dominus templi Turʿat.

Quarto loco apud omnes gentes Arabiae meridianae est sol, qui nomine Semitico Šams vocatur. Qui sol femina intellegebatur et filia dei lunae atque uxor deorum nuntii putata esse videtur. Alii rursus solem uxorem dei gentilis, ʿAthtar autem, quae stella Veneris pro mare habebatur, filium dei gentilis et deae Šams putatum esse iudicant. Procedente tempore gentibus Arabiae meridianae excultis effectum est, ut cultus solis cultui ceterorum deorum anteponeretur. Atque vestigia inveniuntur, e quibus solem deum marem existimatum et lunae antepositum esse apparet. Velut apud Himjaritas solem deum quoque sexus virilis intellectum esse constat. Apud Arabes meridianos dea solis Šams varia nomina habet, quae omnia fere obscura sunt (velut apud Sabaeos: *Dhat-ḥmjm, Dhat-baʿdan, Dhat-baran;* apud Katabanos: *Dhat-ṣantum,*

Dhat-saḥrân, *Dhat-raḥban*). Apud Arabes septentrionales plerumque simpliciter *Ha-ʾilât* sive *Al-ʾilât* (= ἡ θεά) appellatur. Ut apud multas alias gentes, ita apud Arabes quoque antiquos equus solis sacer est.

Cum deus solem, ut praeesset diei, et lunam, ut praeesset nocti, procreavisset (Gn 1, 16), sol apud gentes rusticis rebus deditas, luna apud gentes subinde sedem mutantes magni erat momenti. Quare gentes sine certa stabilique sede lunam pro mare, solem pro femina habere solebant, gentes cum certa stabilique sede contrarie cogitabant. Quae opinio apud Semitas terras occidentales habitantes diutius permansit, quia diutius vagabantur (apud Israelitas *jârêaḥ* = luna generis masculini, *šemeš* = sol generis masculini et feminini est); contra apud Semitas terras orientales habitantes, cum iam tempore historiam antecedente in Babylonia sedem stabilem collocavissent, maturius evanescere coepit. Contra stella Veneris, quae apud Semitas meridianos sexus masculini est, apud Semitas septentrionales sexus feminini est. Neque vero Šamaš (sol virilis) Semitarum septentrionalium cum Šams (sole muliebri) Semitarum meridianorum et Ištar (Venus muliebris) Semitarum septentrionalium cum ʿAthtar (Venere virili) Semitarum meridianorum aequanda est, sed Šams (sol muliebris) Semitarum meridianorum cum Ištar-ʿAštart (Venere muliebri) Semitarum septentrionalium et ʿAthtar (Venus virilis) Semitarum meridianorum cum Šamaš (sole virili) Semitarum septentrionalium aequandus est, ut numina divina non genus, sed sidus mutaverint. Conferas D. Nielsen, Handbuch I, 239.

In monumentis Arabiae meridianae deus lunae falce, dea solis disco, deus Veneris stellâ repraesentatur.[1] Scriptores Graeci, Romani, Arabici saepe de Arabum cultu eorum siderum loquuntur atque ex Ḳorân (41, 37; 45, 4 ss; 86, 1) eum cultum etiam aetate Muhammed exercitatum esse perspicimus. Ceterum praeter alias gentes Babylonii quoque et Assyrii solem, lunam, stellam Veneris iam antiquitus divinis honoribus colebant.[2] J. H. Mordtmann et D. H. Müller de triade quadam deorum Minaeorum loquuntur atque J. H. Mordtmann in invocationibus quoque deorum Sabaeorum triadem deorum ʿAthtar, ʾAlmâḳuh, Šams agnoscit. Etiam nomina deorum Arabum septentrionalium ad triadem referri possunt. Item apud antiquos Aethiopas, quorum dii originis Sabaeae sunt, triadem invenimus. Dii posteriores Aksumitarum illi quidem non originis Sabaeae, sed e diis Sabaeorum profecti iisque ex parte aliqua aequandi sunt, sicut scriptura quoque et lingua Aksumitarum e scriptura et lingua Sabaeorum manaverunt.[3]

[1] A. Grohmann, Göttersymbole und Symboltiere auf südarabischen Denkmälern (Denkschriften der kaiserl. Akademie der Wissenschaften, Phil.-hist. Kl. LVIII, 1. Wien 1914) 35—37: Das Sternensymbol, 37—44: Mondsichel und Scheibe.

[2] H. Prinz, Altorientalische Symbolik 145. Berlin 1915.

[3] J. H. Mordtmann und D. H. Müller, Sabäische Denkmäler 69. Wien 1883. J. H. Mordtmann, Himjarische Inschriften und Altertümer 28. Berlin 1893. F. Hom-

mel, Aufsätze und Abhandlungen arabistisch-semitologischen Inhalts II, 156—158. München 1900. D. Nielsen, Der sabäische Gott Ilmuḳah (MVAG, XIV [1909] 4. p. 50—60: Die südarabischen Götter). Die äthiopischen Götter (ZDMG, LXVI, 1912, 589—600). Über die nordarabischen Götter (OLZ, XXI, 1916, 253—265). Handbuch I, 213—224: Der Mondgott, 224—228: Die Sonnengöttin, 228—234: Der Venusgott. Der dreieinige Gott in religionsgeschichtlicher Bedeutung. I. Die drei göttlichen Personen. Kobenhavn, Kristiania, Berlin, London 1922.

Ceterum praeter deos, quos commemoravimus, multi alii dii erant, qui singulas urbes vel regiones tutari putabantur. Velut apud Sabaeos invenimus nomina deorum *Rummân, Sâmiʿ* (= qui exaudit), *Ḥagir* (= qui mala prohibet), *Nasr* (aquila caeli), *Ḳainân* (luna descrescens, patronus aurificum et artis musicae peritorum), *Thaur-baʿal* (qui cum Api Aegyptiorum conferendus esse videtur), *Ummu-ʿAthtar* (= mater ʿAthtar?, fortasse legendum est Ummî-ʿAthtar = mater mea est ʿAthtar), *ʿAzîz-Lât* (qui deus eo consilio invocatur, ut morbos perniciabiles et mortem prohibeat). Imprimis hîc memoratu dignae sunt inscriptiones antiquorum Sabaeorum in Harîm inventae (Hal. 144—146. 148. 150. 151. 153—159), ubi praeter reliquias cultus Minaei (Wadd) dii Sabaei commemorantur et, quod quidem verisimile est, peregrini quoque, quos servae peregrinae induxerunt.

Cum incolae Arabiae meridianae temporibus historicorum fide contestatis polytheismo dediti essent, exspectes, ut imagines quoque deorum coluerint, quoniam polytheismus et cultus imaginum coniuncti esse solent. At de eius modi imaginibus nihil notum est. Sed cum adhuc nullae effossiones in Arabia meridiana factae sint, fieri potest, ut tantum casu fortuitoque nihil acceperimus. Fieri autem et illud potest, ut aut deorum imagines fingere nefas esse putaverint, quod in multis illis inscriptionibus, ubi res ad cultum pertinentes crebro commemorantur, nusquam de deorum imaginibus agitur, aut ut posteriore demum tempore imagines colere coeperint, praesertim cum Muhammedani se ab urbe Mekka meridiem versus multas deorum imagines hominum similes invenisse, omnes autem reliquias priorum cultuum delevisse tradant, propterea quod ea tempora, quae aetatem Muhammedi antecesserunt, ignorantiae religionis *(gahilijja)* plena fuisse iudicant.[1] Tantum in Arabiam septentrionalem ex Aegypto et Babylonia deorum imagines importatae sunt, quae tamen nunquam res cultus vernaculi existimabantur. Fragmenta serpentium et capita taurorum in Arabia meridiana inventa a sacerdotibus atque ab iis, qui initiati erant, illa quidem tantum symbola dei lunae Wadd existimata, a multitudine

autem etiam loco imaginum deorum culta esse videntur. Ceterum tantum lapides sacri ut symbola deorum apud antiquos Arabes usitati erant.[2]

[1] H. Grimme, Die weltgeschichtliche Bedeutung Arabiens 31.

[2] Quae dona Arabes a diis petebant, eadem sunt, quae aliae gentes exorabant: ubertas agrorum, sanitas, vita diuturna, divitiae, stirps sexus virilis, victi hostes etc. Inscriptiones Sabaeae testantur diis hominum figuras aureas donatas esse. In cultu autem Minaeorum etiam victimas humanas invenimus, sed non, id quod opineris, mares primi geniti, verum feminae immolabantur (OLZ, IX, 1906, 57—70). Ceterum de antiquorum Arabum cultu deorum adhuc parum accepimus.

Adnotatio. — Deos deasque gentium Arabiae meridianae collegit collectosque diligenter descripsit W. Fell in ZDMG, LIV, 1900, 231—259. Praeter opera iam supra allata videas etiam F. Baethgen, Beiträge zur semitischen Religionsgeschichte 109—130. Berlin 1888. F. Hommel, Die südarabischen Altertümer des Wiener Hofmuseums. München 1899. EGAO 85—87. 140 s. 143. D. Nielsen, Handbuch I, 186—197: Götternamen, 197—205: Göttergestalten.

Quae Herodotus Hist. 3, 8 de diis „Arabum" tradit, ea neglegenda sunt; nam Οὐροτάλ et Ἀλιλάτ, quos commemorat, a Semitis septentrionalibus colebantur. Orotal (Dionysos) est deus solis, Alilat (Urania) dea Veneris (Ištar) Semitarum septentrionalium.

Quae Jâḳût in lexico geographico de diis et locis cultus Arabum memoriae prodit, cum maximam partem e „libro de idolis" *(Kitâb al-aṣnâm)*, quem Ibn al-Kalbî octavo p. Ch. n. saeculo conscripsit, deprompta sint, posterioris sunt originis neque sine notitia veteris testamenti dici potuerunt.

3. Cum igitur gentes Arabiae meridianae temporibus historicorum fide contestatis multos deos colerent, Moses eiusque gens ex Arabia meridiana (intercedentibus Minaeis in Arabia septentrionali habitantibus) monotheismum recipere non potuerunt. Quod autem Minaei et Sabaei illorum temporum vocabulo *ʾilu, ʾil* in nominibus crebro usi sunt, id ex complurium virorum eruditorum opinione ita explicandum est, ut ex reverentia vel commoditatis causâ pro nomine dei vocabulum *ʾilu, ʾil* omnium gentium Semiticarum commune posuerint. Vocabulum igitur *ʾilu, ʾil* articulo carens nihil aliud nisi unum ex multis illis diis significare potest.[1] Velut nomen *Jasmaʿ-ilu* non „deus exaudit", sed „deus aliquis exaudit" significat isque exaudit preces ad infantem natum pertinentes; nam opinio „ignoti dei" temporibus antiquis longe lateque divulgata erat.[2] Haec nominis interpretatio „deus aliquis exaudit" eo quoque commendatur, quod apud cultores multorum deorum crebro henotheismum offendimus, qui in eo positus est, ut modo hic, modo ille deus summus deus existimetur et colatur.[3] Denique apud incolas Arabiae meridianae, qui temporibus historicorum fide contestatis polytheismo dediti erant, vocabulum *ʾilu, ʾil* non „unus deus verus" in-

tellegi, sed summum „quidquid deus est“ significare potest. Quare ne opinio dei quidem, „quae monotheismo proxima sit“,[4] ex illo nomine repetenda est.

[1] J. Hehn, Die biblische und die babylonische Gottesidee 151. E. König, Geschichte der alttestamentlichen Religion[4] 113.

[2] Apud gentes polytheismo deditas „ignotus deus“ crebro commemoratur. Ita apud Babylonios et Assyrios: „Velim deus, quem ignoro, leniatur!“ (H. Zimmern, Babylonische Hymnen und Gebete in Auswahl 22 [AO, VII, 3] Leipzig 1905). „Deus, quem ignoro, acquiescat! Dea, quam ignoro, placetur!“ (A. Ungnad, Die Religion der Babylonier und Assyrier 224. Jena 1921). Item Athenis nonnullae arae inscriptionem „ἀγνώστοις θεοῖς“ exhibebant. Quod Paulus apostolus Act 17, 23 in numerum singularem vertit: ἀγνώστῳ θεῷ = ἀνωνύμῳ θεῷ i. e. deo certo cuidam, cuius nomen tamen vel non exprimitur vel ignoratur. Conferas etiam Hom. Odyss. 5, 221; 9, 142; 10, 141; 14, 65.

[3] A. Langhorst, Der Henotheismus (Stimmen aus Maria-Laach XXX, 1886, 380—401).

[4] J. Theis, Frd. Delitzsch und seine „Grosse Täuschung“ oder Jaho und Jahwe 30.

Quod ad nomina divina apud Israelitas usitata attinet, nomen unius veri dei aetate patriarcharum *ʾêl šaddai* erat (Ex 6, 3). Ut iam supra diximus, *ʾêl* est nomen dei omnium Semitarum commune, quod in nominibus quoque antiquorum Arabum crebro invenitur; *šaddai* illud quidem ibi non occurrit, sed in nomine Hebraico *ʿammî-šaddai* (Nm 1, 12; 2, 25; 7, 66. 71; 10, 25) cum *ʿamm* coniungitur. Etiam nomen divinum *ṣûr* (Dt 32, 4; 2 Sm 22, 32; 23, 3; Jes 30, 29; 44, 8. Ps 18, 3. 32. 47; 19, 15. al.) in nominibus antiquorum Arabum saepe invenitur. E contrario nomina divina Arabica *ʾab, ʿamm, ṣumuhû* (= Hebr. *šemû*, cf. *šemûʾêl* = a deo exauditus) in nominibus antiquorum Israelitarum saepe occurrunt. Iam nomen Abram vix aliter explicandum est atque *ʾabî-ramu* = pater meus (i. e. deus) excelsus est.

Nomen dei foederis *Jahve* est originis Arabicae, quia sine ulla dubitatione a radice Arabico-Aramaica *hâvâh* = Hebr. *hâjâh* ducendum est. Pro forma *jahveh* (= est) in lingua Hebraica *jihjeh* poni necesse est. Ceterum Ex 3, 14 nomen dei recte vocabulo *ʾehjeh* (= sum) explicatur. Eadem verbi forma tribus illis nominibus Babyloniis, quae sunt aetatis regis Sin-muballiṭ (1975—1955 a. Ch. n.), subesse videtur: *Ja-aʾ-ve-ilu, Ja-ve-ilu, Ja-ú-um-ilu.* Grammaticae ratione habitâ nihil quidem obstat, quin prior eorum pars cum nomine dei jahveh aequetur[1]; at aliae causae obstant. Illa nomina reddenda videntur aut: „Est deus“ aut, si *jaû* = *jâhû* precativum existimes: „Sit deus (nobiscum)!“[2]

Nonnulli viri docti nomen Jahve nihil aliud esse arbitrantur nisi antiquum nomen dei lunae Arabum immutatum.[3] Ex textibus cuneiformibus antiquorum Babyloniorum effici deam nomine *Aja* fuisse, sponsam *(kallâtu)* dei solis Šamaš.[4] Quam deam lunae intellegendam esse. Cum autem Semitae terras occidentales habitantes solem feminam, lunam marem esse putarent, *Aja* in nomine *Aja-kalabu* (= Aja est sacerdos) aut in nomine regis Edomitarum *Aja-rammu* (= Aja est excelsus)[5] aliisque nominibus Aramaicis et Arabicis vix quidquam aliud nisi deum lunae significare posse. Quod nomen in nominibus Arabum meridionarum non inveniri fortasse inde explicandum esse, quod, cum ut nomen sanctum dei lunae pronuntiari nefas esset, pro eo circumlocutiones *(ʾab, ʿamm, sumu-hû)* usurpatae sint. Neque dubium esse, quin patriarchae nomen divinum *Aja* cognoverint, quae scientia in gente Israelitica ex patriarchis orta nunquam perierit, etsi *ʾêl šaddaî* nomen dei aetate patriarcharum usitatum fuerit.[6]

[1] S. Landersdorfer in BZ, X, 1912, 24—35.

[2] M. J. Lagrange in RB, N. S. IV, 1907, 383—386. Conferas etiam KAT 468.

[3] F. Hommel, AiÜ 114 s. Similiter H. Barns (= M. J. Lagrange) La révélation de nom tétragrammaton (RB, II, 1893, 329—350), El et Jahvé (ib. XII, 1903, 362—386).

[4] Secundum O. Schroeder (ZAW, XXXIV, 1914, 70) *A-a* est coniux dei Šamaš = *Aja* apud A. Ungnad (Die Religion der Babylonier und Assyrer 191). Conferas KB, III, 1, 201 s.

[5] *An-a-a-ram-mu*, var. *An-a-a-ram-me* (KB, II, 91), pro quo nomine prius *(ilu) Malik-rammu* lectum est. Verisimillima autem est lectio *(ilu) Aja-rammu* = יהו־רם (KAT 467 s.).

[6] S. Landersdorfer, Die Bibel und die südarabische Altertumsforschung[3] 58 s.

Complures homines eruditi recentioris aetatis (inter quos B. Stade, C. P. Tiele, B. Baentsch, T. K. Cheyne, K. Budde, K. Marti, E. Meyer, D. Nielsen, L. B. Paton, C. H. Toy, G. F. Moore, H. Gressmann, E. Sellin) contendunt nomen et cultum Jahvae, quocum monotheismus Israelitarum arte cohaeret, apud Kenitas, gentem quandam Midianiticam[1] et sub monte Sinai habitantem, vernaculum ac patrium fuisse ab iisque operâ Mosis ad Israelitas translatum esse. Quod ex sacris litteris apparere, ubi memoriae tradatur Jithrô, socerum Mosis, postquam Mosen Israelitas ex Aegypto eduxisse audiverit, in eorum castra venisse et genero uxorem Zippora, quam reliquerat, liberosque adduxisse (Ex 18, 1—6) atque ei consilia de iudicandi munere exercendo dedisse (v. 14—23). Quod autem Jithrô Jahvae pro omnibus beneficiis in Israelitas

collatis gratias agat et ipse, non Moses, Jahvae sacra offerat (v. 9—12), inde effici Jahven deum Kenitarum-Midianitarum, quorum sacerdos Jithrô erat, fuisse. Illud quoque respiciendum esse Rechabitas, tribum quandam Keniticam (1 Chr 2, 55), fidelissimos Jahvae cultores fuisse (2 Rg 10, 15 s.). Quae cum ita sint, ne foedus quidem ad montem Sinai initum quidquam aliud esse nisi festum sodalitatis Kenitarum-Midianitarum et Israelitarum i. e. festum ab Israelitis in communem cultum Kenitarum-Midianitarum receptis celebratum.

At Jahven, qui se Mosi in monte Horeb-Sinai revelavit, nomen dei Kenitarum-Midianitarum fuisse demonstrari non potest. Neque in Arabia antiqua neque sub monte Sinai ullam gentem cognovimus, quae deum quendam nomine Jahvae coleret. Nam etsi nomina multorum deorum Arabum antiquorum memoriae prodita sunt, tamen nomen Jahve inter ea non reperitur. Atque si religio Jahvae a Kenitis ducenda esset, constare necesse esset eos sub monte Sinai habitasse et Jahven prius coluisse quam Israelitas. Quod Jahve in sacris litteris cum monte Sinai coniungitur, id ita explicatur, ut Jahve ibi Mosi apparuerit eique legem dederit. Et Sinai, loco Nm 10, 33 excepto, semper „mons dei", nunquam „mons Jahvae" appellatur, id quod, si Jahve initio deus montis Sinai a Kenitis cultus esset, mirum videretur. Quod autem Jithrô in monte Sinai sacra fecit (Ex 18, 12), eo minime demonstratur Jahven deum montis Sinai et Kenitarum-Midianitarum fuisse; nam illa sacra eius itinere ad Mosen, qui apud montem Sinai commorabatur, satis explicantur. Et si Jahve Kenitarum deus fuisset, mirum esset, quod Kenitae cum Israelitis (Nm 10, 29 ss; Jdc 1, 16; 4, 11. 17 ss.), non Israelitae cum Kenitis in unum coierunt. Quod memoriae proditur Kenitas quosdam (ut Jael Jdc 5, 24 ss. Jonadab 2 Rg 10, 15 s.) Jahven acri studio defendisse, inde minime efficitur Kenitas ante Israelitas Jahven coluisse. Quid? Israelitae antea num neminem deum colebant, quod tam facile cultum dei Kenitarum, quae gens nullâ unquam potentiâ aut auctoritate florebat, sibi inculcari siverunt? An Israelitae suum deum simpliciter aspernati sunt? Id quidem, si respicimus, quantopere gentes orientis antiqui in religionibus suis perseveraverint, minime est verisimile. Immo vero nomen Jahvae, si subtiliorem eius vim, qua ad deum, qui cum gente Israelitica foedus icerit, significandum usurpabatur, consideramus, neque a Kenitis neque ab ulla alia gente receptum esse potest. Quod autem ad Rechabitas attinet, nonne fieri potest, ut cultum Jahvae ab Israelitis mutuati sint? Quid si Jahve Israelitis usque ad aeta-

tem Mosis prorsus ignotus erat, quî Moses eorum animos adducere potuit, ut Jahven colerent? Neque enim Jahvae, si deus Kenitarum-Midianitarum fuisset, ulla ratio cum Israelitis in Aegypto commorantibus fuisset neque Mosi dicere potuisset: „Ego sum deus patris tui, deus Abraham, deus Isaac, deus Jacob ... Vidi afflictionem populi mei in Aegypto et clamorem eius audivi“ (Ex 3, 6 s.). Et quod Jithrô: „Benedictus Jahve — inquit — qui liberavit vos de manu Aegyptiorum! ... Nunc scio maiorem esse Jahven omnibus diis“ (Ex 18, 10 s.), non laetatur, quod suus deus, deus Kenitarum-Midianitarum, Jahve, ceteris diis potentiorem se praestiterit; quod si cogitavit, cur non dixit? Ad hoc omnia Kenitarum nomina antiquiora non cum nomine Jahvae composita sunt: conferas *Reʿû'êl* = amicus El i. e. dei (Ex 2, 18; Nm 10, 29) = *Jithrô* (Ex 3, 1. al.) vel Jether (Ex 4, 18), „eminentia“. Eius filius nominabatur *Ḥôbâb* = dilectus (Nm 10, 29), qui a Mose rogatus est, ut Israelitis viam monstraret, et post eorum immigrationem in terram Canaan in Negeb consedit (Nm 10, 29—32; Jdc 1, 16; 4, 11); praeterea nomina *Ḥeber,* coniugis *Jâʿêl* (Jdc 4, 11. 17; 5, 24), *Ḥammath, Reḳab, Jaʿbêṣ* (1 Chr 2, 55; 4, 9 s.). Nomina autem cum Jahve composita non inveniuntur nisi inde a nono a. Ch. n. saeculo (*Jehônâdâb* 2 Rg 10, 15 vel *Jônâdâb* Jer 35, 6. 10. 19 = Jehônâdâb v. 8, 14. *Jaʾazanjâ, Jirmejâhû, Ḥabaṣṣinjâ* Jer 35, 3), ut appareat Kenitas primo cultum Jahvae ignorasse. Ceterum ob id ipsum non est verisimile Kenitas in Israelitarum religione summi fuisse momenti, quod ab iis et in republica et in societate vitae exteri habebantur.[2]

[1] Cuius originis Kenitae fuerint, pro certo dici non potest, quoniam in tabula gentium Gn c. 10 non memorantur. Unum hoc constat eos Midianitis adnumerandos esse; nam Hobab, qui princeps alicuius tribus Kenitarum in deserto Sinai habitantis erat, Nn 10, 29 Midianita appellatur.

[2] Quare multi viri docti contra eos, qui Jahven initio deum Kenitarum-Midianitarum fuisse eiusque cultum temporibus Mosis ab Israelitis assumptum esse existimant, dixerunt. Videas imprimis E. König, Der Ursprung des Jahvekultes (Die Studierstube IV, 1906, 388—397. 462—467). Geschichte der alttestamentlichen Religion[4] 203—210.

III

Mosesne in sacerdotibus instituendis antiquius sacerdotium idque Minaeum imitatus sit

Haud pauci viri docti recentioris aetatis (in quibus B. Stade, K. Budde, F. Hommel, A. H. Sayce, A. Jeremias, J. Benzinger, E. Sellin, D. Nielsen) sacerdotes Israelitarum et Minaeorum inter se cohaerere existimant, quippe cum Moses in sacerdotibus instituendis sacerdotium Minaeum imitatus sit. Quod ex inscriptionibus Minaeis a J. Euting in el-ʿOela inventis apparere, ubi vocabula *lawiʾu* et *lawiʾat* sacerdotem marem et sacerdotem feminam significent.* Quae vocabula haud dubie cum Hebraico *lêwî* prorsus congruere; nam et *lêwî* et *lawiʾu* a verbo *lâwâh,* cuius forma Qal „comitari aliquem", forma Niphʿal „se alicui adiungere" valeat, ducenda esse. Unde Levitam eum, qui sacrario vel deo alicui adiunctus sit, significare atque Levitam et sacerdotem idem valere colligendum esse.

1. At inter Minaeorum sacerdotium et sacerdotium a Mose apud Israelitas institutum necessitudines quasdam intercessisse ex iis vocabulis demonstrari non potest. Nam vocabulum *lêwî* Israelitas a Minaeis mutuatos esse propterea negandum est, quod in sacris litteris id vocabulum primo nomen tribus cuiusdam est[1] et paulatim tantum ad ministros sacrarii significandos usurpabatur. Neque verisimile est Minaeos id nomen ab Israelitis mutuatos esse; nam quamquam id ratione temporum habitâ fieri potuit, tamen respiciendum est sacrum ministerium ad tribum Levi tum demum delatum esse, cum Moses et gens Israelitarum cum sacerdotibus Minaeorum commercium habere coeperant. Hoc quoque cogitari potest Minaeos post Israelitarum immigrationem in terram Canaan nomen lawiʾu ab his mutuatos esse. Quod praeter alios imprimis *A. Legendre*[2], qui colonias Israelitarum in terra Minaeorum conditas esse putat, defendit. Ad id neque ullo modo demonstrari potest et eo ipso refellitur, quod in ceteris rebus Israelitae a Minaeis, non Minaei ab Israelitis mutuati sunt. *S. Landersdorfer*[3] iudicat Jahven praeter alias causas ob similitudinem quoque appellationis sacerdotum Minaeorum et nominis tribus Israeliticae Levitas, ut in sacrario servirent, elegisse atque id imprimis originatione utriusque

* Bene respiciendum est tantum apud Minaeos septentrionales sacerdotes *lawiʾu,* apud Minaeos meridianos *rašiwu* (cf. Arab. *rašwat* = largitio, qua quis gratiam iudicis sibi conciliare studet) vel *šauwâʿ* appellari.

nominis *lawi'u* et *lêwî* adiuvari. Cui adstipulari possumus, quamquam propria ac vera ratio ministerii divini in Levitas conferendi cum eorum singularis in superstitione vituli aurei reprimenda ardor (Ex 32, 28 s. cf. Dt 33, 8—11; Mal 2, 4—6) tum libera dei electio (Nm 18, 6) fuit. Nomen autem *lêwî* a forma Qal, non a forma Niph'al verbi *lâwâh* derivatum esse verisimile est. Sed etiamsi concedas a forma Niph'al ducendum esse, idcirco Levita et sacerdos non idem est, quoniam eum, cui quis se adiungit, vel deum vel sacrarium esse minime necesse est. Ut exemplum afferam, *M. Rüdinger*[4] nomen lêwî ita accepit, ut eo Aegyptii Mosen sequentes significentur. Ex Gn 29, 34 quoque apparet Levitam non eum, qui vel deo vel sacrario adiunctus sit, significare. *P. de Lagarde*[5] et *W. W. Baudissin*[6] nomen *lêwî* a forma Qal verbi *lâwâh* ducunt eique vim „comitatus" attribuunt. At non sacerdotes vel deum vel simulacrum divinum comitari necesse est. Nomine igitur *lêwî* a verbo *lâwâh* ducto Levitam et sacerdotem idem valere effici non potest.[7] Ceterum sacerdotium Mosaicum eiusque omnia instituta cum dei electione gentis Israeliticae eiusque foedere cum Jahve inito coaluerunt; eoque sacerdotio adeo religio gentis Israeliticae refertur, ut sacerdotium neque Minaeorum neque ullius alterius gentis ei plane respondeat. Quare iudicandum est Mosen in sacerdotio instituendo suo tantum ingenio usum esse, ita tamen, ut ea, quae ei Jahve revelaverat, sequeretur.

[1] Levi initio nomen tribus cuiusdam fuisse vel inde apparet, quod verba Jacob patriarchae Gn 49, 5—7 e temporibus, quae aetatem Mosis secuta sunt, repeti non possunt (E. König, Geschichte der alttestamentlichen Religion[4] 270).

[2] In F. Vigouroux, Dictionnaire de la Bible IV (Paris 1908) 200 s.

[3] Die Bibel und die südarabische Altertumsforschung[3] 67.

[4] Sitzungsberichte der kaiserl. Akademie der Wissenschaften in Wien, Phil.-hist. Kl. LXXV, 1 (1873) 18.

[5] Orientalia II (Leipzig 1880) 20 s.

[6] Die Geschichte des alttestamentlichen Priestertums untersucht (Leipzig 1889) 74. 185.

[7] Conferas A. Eberharter in ZkTh LII, 1928, 505 s.

2. *H. Grimme*[1] vocabula לוּאן, *li'wân* et לוּאתן, *li'wâtan* falso „Levitam marem" et „Levitam feminam" intellegi dicit. Ea, cum a לוּא ducenda sint, „pignori datum (datam)" valere, quae vis tribus inscriptionibus in el-'Oela inventis (Euting 24 atque Jaussen-Savignac 27 et 12) confirmari possit. Homines quosdam consecrationem subisse et deo templi tributum servorum et servarum unâ cum eorum peculio solvisse. Quibus hominibus at-

que rebus nomen *li'wân*, fem. *li'wâtan* inditum esse. Iis autem vocabulis, cum non solum homines, sed etiam res significent, non tituli aut magistratus appellari posse. Quod si recte se habet, Arabicum *li'wân* cum Hebraico *lêwî* aequari non potest. Quamquam H. Grimme aliter sentit. Hebraicum לוי ad לו referendum esse, quod tamen initio לוא sonaverit. Ut נא et שוא postea ad נ et שו redacta sint, ita לוא quoque ad לו redigi potuisse. Utrumque vocabulum, Arabicum et Hebraicum, ab eadem radice ducendum esse; vocabulum autem Hebraicum exitu *i* auctum esse. At quaeritur, ducendumne sit לוי a לוא et Levitaene dei an templi fuerint. Morem quoque pignora hominum templo consecrandi in gente Israelitica non invenimus.[2]

[1] Der südarabische Levitismus und sein Verhältnis zum Levitismus in Israel (Le Muséon XXXVII, 1924, 169—199).

[2] Quod H. Grimme (Die weltgeschichtliche Bedeutung Arabiens 32 b) cum *liwa* et *liwat* Akkadicum *limu* vel *liwu* = ἄρχων ἐπώνυμος aequat, ratione linguae habitâ nihil contra dici potest. At Levitas Israelitarum aut Minaeorum in annis numerandis ullo modo respectos esse pro certo demonstrari non potest.

Sunt, qui existiment nomen *lêwî* initio tribum quandam Minaeorum, quae in Kades Barnea habitabat, significasse (E. Meyer, D. Nielsen, alii). At Levitas alienigenas inter Israelitas fuisse in libris divinis non solum nusquam indicatur, sed plane negatur, cum Dt 14, 29; 16, 11. 14; 26, 11—13 Levitae praeter alienigenas commemorentur. Praeterea respiciendum est Ez 44, 15 s., ubi scriptum legimus Levitas legitimos administratores ministerii sacri mansisse, cum v. 9 alienigenae sanctuarium dei ingredi vetentur. Opinionem autem Levitas, qui in inscriptionibus regionis el-'Oela commemorantur, sacerdotes esse Jahvae, qui ex Kades Barnea emigraverint et in diis regionis el-'Oela novos dominos quaesiverint, refutare supervacaneum est.

M. Gemoll (Grundsteine zur Geschichte Israels 392. Leipzig 1911) locis Jdc 17, 7 et 19, 9 allatis Levitas alienigenas inter Israelitas fuisse demonstrare studet. At ibi nihil aliud dicitur nisi Levitam quendam Bethlehemitam in montibus Ephraim ut peregrinum moratum esse. Item Levita quoque, cuius Dt 18, 6 mentio fit, intellegendus est. Dt 29, 10 (Vulg. 11) autem verbis: „peregrinus tuus, qui tecum moratur in castris", Levitam significari sine ulla causa dicitur; quae verba ad „vulgus promiscuum", quod Israelitas ex Aegypto profectos sequebatur (Ex 12, 38), referenda sunt.

3. Apud sacrarium Israelitarum quoque, ut apud Minaeos[1], Levitas generis feminini fuisse, id quod haud pauci viri docti locis Ex 38, 8 et 1 Sm 2, 22 adducti contendunt, pro certo negandum est, quoniam in sacris litteris, cum in iis de omnibus institutis ad cultum divinum per-

tinentibus diligentissime agatur, earum nulla fit mentio. Quam opinionem imprimis *A. Eberharter*[2] diligentissime exquisivit et non modo rationes pro ea prolatas minime sufficere, sed etiam illos veteris testamenti locos nullam vim probandi habere demonstravit. Nam verbum *ṣâbâ'*, quo Ex 38, 8 ministeria mulierum apud sacrarium habitantium significantur, nullo sacrarum litterarum loco ad munera sacerdotalia significanda adhiberi; neque quod ad ministerium Levitarum significandum usurpetur (Nm 4, 3. 23. 30. 35. 39. 43; 8, 24 s.), idcirco illas mulieres e tribu Levi fuisse et sacerdotio functas esse, quoniam multo saepius ad ea ministeria significanda usurpetur, quae ad religionem non pertineant. Mulieres autem, quae 1 Sm 2, 22 memorantur, eadem ministeria exsequi atque eas, de quibus Ex 38, 8 agatur. Quae cum ita sint, quaestionem illam, fuerintne in *legitimo* cultu Jahvae sacerdotes vel Levitae feminini generis, negandam esse. Quamquam negari non posse in cultum Jahvae, cum saepius institutis ethnicis deformaretur, etiam morem pravum sacerdotum feminini generis irrepsisse.[3]

Levitae autem sexus feminini num cultui Jahvae canentes vel psallentes interfuerint, ex vetere testamento non cognoscitur.[4] At etiamsi concedas, idcirco nondum demonstratum est eas munere sacerdotali functas esse.

[1] Memoratu dignum est antiquos Arabes, id quod inscriptionibus in Harîm inventis (Hal. 144—160, exceptis 147. 149. 152) demonstratur, servas deo ut hierodulas sacrare consuevisse. Velut *Abî-šapaḳa* a sacerdote *(rašiwu)* deo (deae?) *Môtâb-naṭijân,* quem (quam) Minaei coluisse videntur, dicatur (Hal. 144). Ex nonnullorum opinione *Môtab-naṭijân* nihil aliud est nisi alterum nomen dei *'ilu,* quia sacerdos virginem consecrans „sacerdos 'ilu et 'Athtar" nominatur. Atque J. H. Mordtmann (Die himjarischen Inschriften von Kharibet-Se'oûd. ZDMG, LII, 1898, 397 ss.) inscriptiones Sabaeorum in Kutal inventas affert, ubi serva (servus) deae solis *Dhât Ḥimaj* consecratur. Conferas F. Hommel, AiÜ 319—321. EGAO 143 s. H. Gressmann, Altorientalische Texte zum AT[2] (Berlin—Leipzig 1926) 463—465.

[2] Theologische Quartalschrift XCIV (Tübingen 1912) 183—190: Gab es im Jahwekult Priesterinnen?

[3] D. Nielsen (Die altarabische Mondreligion und die mosaische Überlieferung 192) Israelitas, dum in paeninsula Sinaitica commorati sint, sacerdotes utriusque sexus habuisse verisimile esse dicit; nam e locis Ex 15, 20 s; Nm 12, 1 s; 20, 1 apparere Mirjam iuxta Mosen et Aaron insignem obtinuisse locum. At inde colligi non potest aut Mirjam sacerdotem fuisse aut Israelitas antiquos sacerdotibus sexus feminini usos esse.

[4] A. Jeremias (Das AT im Lichte des alten Orients[3] 380. Leipzig 1916) apud Israelitas antiquos feminas tribûs Levi ministerio sacro functas esse existimat, quod

Sanherib, rex Assyriorum, in tributis, quae anno 701 ex Hierosolymis accepit, symphoniacos et symphoniacas commemoret (cf. H. Gressmann, Altorientalische Texte zum AT² 354), quia dubium non sit, quin in templo occupati fuerint. At feminas in templo vocibus et nervis cecinisse ex eo loco pro certo colligi non potest.

IV

Cultus divinus ab antiquis Arabibus exercitatus pertineatne ad instituta religionis Mosaicae

In multis textibus antiquorum Arabum de aedificiis, actionibus, rebus ad cultum divinum pertinentibus sermo est. Ex iis textibus, etiamsi saepe difficulter explicantur, tamen cultui in Arabia meridiana exercitato cum legibus cultus Mosaici multas similitudines intercedere perspicimus. At si Israelitarum et antiquorum Arabum ritus religionis inter se comparantur, propterea magna cautione opus est, quod quae de Arabum ritibus memoriae prodita sunt, maximam partem Muhammedanis debemus, quos, cum gentilium religionibus inimici essent, nonnulla falso prodidisse verisimile est.

1. Atque antiqui Arabes et Israelitae crebro easdem res, personas, actiones ad religionem pertinentes iisdem verbis significant, quamquam cogitandum non est alteram gentem ea ab altera mutuatam esse. Velut in utraque lingua exercitatio cultus verbo *ʿabad* appellatur. Hebraico *kôhên* (= sacerdos) Arabicum *kâhin* respondet (cf. Ex 2, 16; 3, 1; 18, 1, ubi Jithrô diserte *kôhên* nominatur). Arabicum *kâhin* illud quidem (certe posteriore aetate) vatem, qui iussu dei oracula edebat, significat; sed apud Israelitas quoque in rebus dubiis et negotiis maioris momenti Jahven per Urim et Tummim consulere ab eoque responsum accipere summi sacerdotis erat. Ceterum Arabes quoque antiqui propriis sacerdotibus utebantur, qui nobilissimis familiis orti apud templum aliquod ministeriis divinis fungebantur et dignitatem suam hereditate relinquebant.[1] Ad hoc accepimus ut apud Israelitas familiam Aaron, ita apud Arabes quoque certas quasdam familias sacerdotium obtinuisse. Ut gentes Arabicae, ita Israelitae quoque celebrationem festi, imprimis festi autumnalis, vocabulo *ḥag* sive *ḥâg* (= Arab. *ḥagg*),[2] clamorem festivum incipere verbo *hillêl* (*hillûlîm* = laetitia festi) significabant. Interdum aliquod verbum apud alteram gentem sensu vel angustius vel latius patente usurpatur, cum apud alteram primam vim teneret. Velut Ara-

bicum *ḥarâm* id, quod sanctum est (cf. verbum *ḥarama* = prohibere, vetare, illicitum facere), Hebraicum *ḥêrem* devotionem, consecrationem valet. Inscriptiones Sabaeae, imprimis autem Minaeae, cum talibus verbis, quae ad cultum pertineant, abundent, multas cum legibus cultus Mosaici similitudines praebent, quae ad ingenia virorum doctorum exercenda aptissimae sunt. Velut apud Minaeos *šelem,* quod vocabulum in cultu Mosaico sacrificium, quod Jahvae offertur, ut laudetur eique grates agantur, significat, commune nomen sacrificiorum fuisse videtur, quia in inscriptionibus *mašlam* (= ara) locum, ubi *šelem* (= sacrificium) offertur, valet. Deinde commemoranda sunt vocabula *baššala* = dedicare, proprie carnes victimae coquere; *aḥdhâr* = atrium, ubi victimae mactantur (cf. Hebr. *ḥâṣêr*); *ʿaššara* = decimam partem dedit (cf. Pi'el et Hiph'il verbi Hebraici *ʿâšar*); *makânât,* cf. Hebr. *mekônôt* = bases pelvium sive lavacrorum in templo Salomonis et *kên* = basis labri aenei in tabernaculo Mosaico. Ex inscriptionibus Sabaeorum, quae in Harîm inventae sunt, memoratu digna sunt vocabula *ḥaṭ'at* = sacrificium pro peccato (Hebr. *ḥaṭṭât*); *tanaḫḫaja* = ad gratias pro beneficio accepto agendas obtulit (cf. Hebr. *minḥâ*?); *mabšal* = sacrarium, proprie locus, ubi carnes victimarum coquuntur vel assantur (cf. *mebašše lôt* Ez 46, 23); *aḫlâj* = placentae dulces in sacris adhibitae (cf. Hebr. *ḥallôt*).[3] Haud dubie in inscriptionibus Arabiae meridianae, si diligentius pervestigatae erunt, alia quoque vocabula ad cultum pertinentia, quae cum Mosaicis congruunt, invenientur. Imprimis si omnes inscriptiones Minaeae, quas E. Glaser collegit, editae erunt, exspectandum est, ut de religione antiquorum Arabum eiusque cum religione veteris testamenti rationibus multa nova cognoscamus.

[1] J. Wellhausen, Reste arabischen Heidentums[2] 53 s. 134.

[2] H. Grimme (OLZ, IX, 1906, 66) vocabulum Hebraicum *ḥâg* cum Akkadico *agû* comparat, quod cum alia, tum orbem lunae valet, ut cum religione lunae cohaereat. Quod si ita est, Ez 45, 17 (Hos 2, 13) *ḥaggîm* = festa lunae plenae, *ḥodâšîm* = festa lunae novae, *šâbbâtôt* = festa lunae dimidiae simul commemorantur. Idem vocabulum *ḥâg* loco cognominis dei Wadd, qui crebro epitheto שחרן deus lunae significatur, invenitur.

[3] A. Jeremias, Das AT im Lichte des alten Orients[3] 380. F. Hommel, EGAO 144, qui AiÜ 17. 279 s. etiam vocabula ad cultum pertinentia *tâmîd, ʿôlâh, ʾazkârâh* nisi e lingua Arabica explicari non posse arbitratur.

2. Nonnulli viri eruditi[1] dicunt praeceptum illud, ne nomen dei frustra usurpetur (Ex 20, 7; Lv 19, 12; Dt 5, 11), cum variis circumlocutionibus, quibus incolae Arabiae ad meridiem spectantis in nomi-

nibus propriis pro nomine dei utebantur (*ab, ʿamm,* imprimis *sumu-hû*), cohaerere. Quod in hominum nominibus dei nomen ʿAthtar crebro ʿAtht factum est (velut *Haufaatht* = ʿAthtar successum dat, *Karibatht* = ʿAthtar benedicit), id ex verecundia plenum dei nomen enuntiandi manat. Sunt quoque, qui existiment cultu sine imaginibus in regno Minaeorum, imprimis autem in provincia Maʿân Muṣrân, antiquiore aetate usitato legem Mosaicam Ex 20, 4: „Ne facias tibi sculptam imaginem" explanari.[2]

[1] Ut H. Grimme, Die weltgeschichtliche Bedeutung Arabiens 40 b.

[2] Cum Arabes simulacra deorum fingere, eorumque nomina enuntiare vererentur, Babylonii nomina deorum non modo enuntiaverunt atque nomina hominum cum iis composuerunt, sed etiam deorum simulacra finxerunt.

Ut apud Arabes, ita apud Israelitas quoque nullum sacrum victimâ maioris erat momenti. Apud utrosque victimae iugulum persecabatur eiusque sanguis apud Israelitas super aram, apud Arabes super lapidem sacrum[1], qui locum arae obtinebat, spargebatur. Cum autem apud Arabes tantum voluntaria sacra essent, in cultu ab Israelitis exercitato praeter ea etiam lege imperata invenimus. Et cum Arabes ritum sanguinis effundendi et cenae sacrificalis novissent, victimam autem non concremarent[2], apud Israelitas omnes victimae vel ex parte vel totae concremabantur.

[1] Arab. *nuṣb, nuṣub* (plur. *anṣâb*) vel *mansab,* cui vocabulo Hebraicum *maṣṣêbâ* (pro *manṣêbâ*) = lapis numini divino consecratus respondet.

[2] J. Wellhausen, Reste arabischen Heidentums[2] 116. — M. J. Lagrange (Études sur les religions sémitiques[2] 261 s.) Arabes quoque ab antiquissimis temporibus victimas concremasse putat.

In Arabia meridiana multae arae ad odores incendendos destinatae inventae sunt, quibus odorum suffitionem in cultu antiquorum Arabum magni momenti fuisse demonstratur. Quae arae formâ quadratâ, plerumque ex lapide, rarius ex argilla factae, superne excavatae, pedibus brevibus sustentatae, in atrio cultus divini ponebantur. In earum lateribus nomina odorum aut aliqua dedicatio incidebantur.[1] Cum una ex iis aris descriptio Ex 30, 1—6; 37, 25—28 paene congruit.[2]

[1] H. Gressmann, Altorientalische Texte zum AT[2] 469 s.

[2] Cuius imaginem delineatam invenies apud E. Glaser, Mitteilungen über einige aus meiner Sammlung stammende sabäische Inschriften (Prag 1886) 75. Videas etiam D. Nielsen, Die altarabische Mondreligion und die mosaische Überlieferung 135. fig. 21.

Ut Israelitae, ita Arabes antiqui vestimenta mundandi causâ mutare, non lavare, mutatoria autem a sacerdotibus mutuari (cf. Gn 35, 2; 2 Rg 10, 22) et deum de pecudibus deerrantibus consulere (cf. 1 Sm 9, 6) soliti sunt.[1] Sabaei lotionibus quoque ad cultum pertinentibus et circumcisione, quae in pueris octo dies natis perficiebatur[2], utebantur.

[1] J. Wellhausen, Reste arabischen Heidentums[2] 53—56.

[2] Conferas Gn 17, 23. 25. Jos. AJ 1, 12. 2 (§ 214). Clem. Rom. Recogn. 8, 53: „Judaeorum circumcisionem Arabicae gentes aliaeque plurimae ad ministerium suae impietatis (i. e. religionis ab iis exercitatae) imitatae sunt."

Item in religione lunae antiquorum Arabum multae leges inveniuntur, quae cum legibus Mosaicis mire congruunt. Velut Haranii animalia munda ab immundis distinguebant atque imprimis nefas erat carne suum et camelorum, bestiarum ferarum et avium rapacium vesci; eadem lex Mosaica praescribit (Lv c. 11; Dt 14, 3—21). Ad leges cibarias Sabaeorum posteriorum temporum haud dubie Judaei pertinuerunt. Idem in Muhammedanos cadit, quippe qui sanguine, carne morticina, carne suilla vesci vetentur (Ḳorân 2, 168; 5, 4; 6, 146; 16, 116). Multa quoque apud antiquos Arabes inveniuntur praecepta, quae cum legibus Mosaicis de immunditia viri (Lv 15, 16 s.) et mulieris (ib. 12, 4; 15, 25. 27), de immunditia, quam vir et mulier coëuntes contrahunt (ib. 15, 24; Ex 19, 15), de immunditia, quae ex contactu corporis mortui hominis oritur (Lv 21, 11; Nm 19, 11 s.), mire congruunt[1]. Quas leges in Arabia meridiana re vera observatas esse e tabulis aereis Glas. 1052 et 1054, quae in Harîm inventae sunt et in sacrario aliquo positae esse videntur, nunc autem Vindobonae in museo aulico asservantur, cognoscimus. Similia tabulae aereae Hal. 681 et 682, quas et ipsas ex Harîm profectas esse verisimile est, continent. Babylonios concubitu se commaculari credidisse Herodotus (Hist. 1, 198) memoriae prodit. Idem de Arabibus dicit. Plinius (12, 13, 54) Minaeos, quo tempore tus colligebant, cum feminis concumbere vetitos fuisse narrat. Apud Sabaeos femina fluxum menstruum patiens templum intrare vetabatur aliosque contagione impuros reddebat (cf. Lv 15, 19—23). Item Sabaei, cum ad templum adibant, coitu abstinere debebant. Ceterum apud Sabaeos polyandria haud ignota erat, ut complures fratres vel propinqui unam eandemque uxorem haberent (Strab. 16, 4, 25).[2] Etiam leges Mosaicae de maritandis ordinibus magnam partem cum legibus antiquorum Arabum congruunt, quas Muhammed quoque praescripsit (Ḳorân 4, 26 s.).

[1] Quare nonnulli viri eruditi recentioris aetatis (velut J. Halévy, D. Nielsen, S. Landersdorfer) necesse esse iudicant Israelitas illa praecepta ab Arabibus mutuatos esse. Sed tamen omnino negari non potest Israelitis auctoribus Arabes illos ritus recepisse.

[2] M. Hartmann, Die arabische Frage 197—202: Polyandrie bei den alten Arabern, 207—211: Reinheitsgesetze.

3. Opinio exemplar Mosi ad sacrarium, quod portari potest, aedificandum in monte Sinai monstratum (Ex 25, 8 s. 40; 26, 30; 27, 8; Act 7, 44; Hebr 8, 5) templum Arabicum fuisse[1] improbanda est, quoniam sacris litteris non adiuvatur. Templa antiquorum Arabum, quae adhuc cognovimus (ut sacrarium ʾAvm primo deo Sabaeorum Haubas dicatum, quod a Mârib meridiem et orientem versus situm est atque ab Arabibus Ḥaram Bilḳîs nominatur; sacrarium urbis Ṣirwâḥ; sacrarium prope Petra in monte situm)[2], tali forma esse dicuntur, ut nonnullis viris doctis probabile videatur Israelitas saltem descriptionem quandam templi Arabici in tabernaculo sacro exstruendo secutos esse.[3]

[1] D. Nielsen, Die altarabische Mondreligion und die mosaische Überlieferung 169.

[2] Sacrarium deo Haubas dicatum E. Glaser perscrutatus est (cf. D. Nielsen, Handbuch I, 149—152). De sacrario urbis Ṣirwâḥ videas D. Nielsen, ib. 154 s. Sacrarium prope Petra situm mense Maio anni 1900 G. L. Robinson visit et descripsit (Mitteilungen und Nachrichten des Deutschen Palästina-Vereins 1901, 21—32).

[3] S. Landersdorfer, Die Bibel und die südarabische Altertumsforschung[3] 69. — Sine ulla causa Israelitae arcam Jahvae a Midianitis mutuati esse putantur.

F. Hommel (EGAO 144) more Minaeorum et Sabaeorum communi, ex quo anni ratione summorum sacerdotum (Min. *kabîr*) vel eponymorum habitâ computabantur[1], ordo sacerdotum, qui ordini a Mose instituto similis est, significari putat. Atque E. Sellin[2] verisimile esse arbitratur Israelitas etiam sortem sacram (Urim et Tummim) a Minaeis recepisse, cum Arabes eâ antiquitus uterentur. C. H. Cornill[3] prophetismum quoque Israelitarum ex Arabia ducendum esse existimat, propterea quod lingua Hebraica radice vocabulo *nâbîʾ* respondente careat. At aliorum quoque vocabulorum Hebraicorum radix Hebraica iis respondens desideratur neque quisquam ea re adducitur, ut res quoque, quae iis nominantur, importatas esse dicat.

[1] Cum dignitate *kabîr* interdum eponymatus coniunctus fuit. Quamquam eius modi exempla raro inveniuntur. Quem morem apud Assyrios quoque invenimus. Conferas C. Brockelmann, Wesen und Ursprung des Eponymats in Assyrien (ZA, XVI, 1902, 389—401).

[2] Geschichte des israelitisch-jüdischen Volkes I, 87. Leipzig 1924.

[3] Der israelitische Prophetismus[6] 12. Straßburg 1906.

Tempora sacra antiquorum Arabum ad Israelitarum tempora cultus pertinuisse, quamquam adhuc certa testimonia eius rei allata non sunt, propterea iudicandum est, quod Moses leges de temporibus sacris genti Israeliticae ad montem Sinai condidit. Imprimis institutum periodorum, quae in numero septenario vertuntur, ad variam lunae lucem pertinet; quare sabbatum ad antiquorum Arabum religionem lunae referendum esse dicitur(!). Morem quoque adventûs novae lunae clangore tubarum celebrandi (Lv 23, 24; Nm 10, 10; 29, 1) Israelitae ab Arabibus mutuati esse dicuntur.[1] Omnes gentes orientis antiqui, cum nova luna apparebat, laetabantur eamque salutabant. Arabes primum splendorem novae lunae eiusque salutationem vocabulo *hîlal* significabant[2], unde nonnulli (ut P. de Lagarde, J. Benzinger, S. Landersdorfer) exclamationem quoque laetantium *hallelû-jah*[3] profectam esse putant. Item caerimoniis diei expiationis (Lv c. 16) ex nonnullorum virorum doctorum opinione de ritibus antiquorum Arabum admonemur.[4] Sunt porro, qui putent aliis quoque diebus festis Israelitarum cum antiquis Arabibus nonnullas similitudines intercedere, quod tamen adhuc argumentis comprobatum non est. Idem cadit in opinionem a D. Nielsen[5] prolatam, ex qua etiam foedus a Jahve cum Israelitis in monte Sinai initum cum die festo dei lunae ab Arabibus in eodem monte aequandum esse putat. Quae opinio neque libris sacris neque inscriptionibus ullo modo confirmatur. Neque aliud quidquam concedi potest nisi locutiones „splendorem (quo circumfusus Jahve apparuit) oriri *(jâṣâ)*“ et „descendere *(jarad)*“ ex religione astrali Arabum sumptas esse.

[1] Sunt, qui cultum lunae primam religionis formam antiquorum Israelitarum fuisse existiment (G. Margoliouth, F. Hommel, alii). At quibus argumentis id probare conantur, ea neque certa neque firma sunt. Nam etsi fieri potest, ut Israelitarum dies festi novae lunae reliquiae antiqui cultus lunae sint, tamen id ea celebratione sola non demonstratur, quod necesse non est ponere iis diebus primo lunam cultam esse, sed iure id quoque credi potest eos dies festos ad deum, auctorem novae lucis lunae, pertinuisse.

[2] Verbum *halala* vocabulo *hilâl* subiectum usurpatur, si homines vel dies festos celebrantes vel sacrarium aliquod visentes laetitiâ exsultant (J. Wellhausen, Reste arabischen Heidentums[2] 110).

[3] Th. Nöldeke, Halleluja (33. BZAW, 1918, 375—380).

[4] Cum nomine *'azâ'zêl* conferas vocabulum Arabicum *azala,* quod notiones sterilis et infiniti deserti coniungit, et nomen deae *'Uzzâ* (*'Uzzaj,* postea cum articulo postposito *'Uzzajân* [videas E. Glaser, Suwâ' und Al-'Uzzâ und die altjemenischen Inschriften 17. 19, München 1905] et *al-Uzzaj* [Ḳorân 53, 19] = *al-'âziza* i. e. potens,

fortis) filiae Allâh*, quae iam antiquis incolis regionis Dedân nota erat, id quod ex inscriptione quadam ab E. Glaser inventa elucet. 'Uzzâ femininum nominis 'Azîz esse vîdetur i. e. nominis dei Sabaeorum, qui, quia ipse „torvus" deus mortis est, ut a pestilentia et morte defendat, imploratur. Videas J. Wellhausen, Reste arabischen Heidentums[2] 32—45. F. Hommel, AiÜ 280.

[5] Die altarabische Mondreligion und die mosaische Überlieferung 155—164.

4. Complures viri docti recentioris aetatis (velut D. Nielsen, J. Benzinger, S. Landersdorfer) existimant Aaron simulacro Jahvae ex inauribus aureis facto (Ex 32, 2—4) non Apin Aegyptiorum imitatum esse, quoniam is nisi vivus non colebatur (quamquam taurorum imagines in pompis circumferebantur), sed taurorum capita, quae incolae Arabiae meridianae venerabantur, i. e. symbola dei lunae Wadd (propter cornuum tauri et lunae novae similitudinem).[1] Eo igitur cultu vituli aurei Israelitas in religionem earum Arabiae gentium relapsos esse, quae (exceptis sacerdotibus et initiatis) ea aetate in simulacro non iam symbolum dei, sed deum ipsum coluisse dicuntur.

Quae opinio neque sacris litteris confirmatur et propterea parum verisimilis esse videtur, quod adhuc simulacra, quibus toti tauri vel ex lapide vel ex metallo finguntur, in Arabia meridiana inventa non sunt, quamquam taurus, id quod ex inscriptionibus apparet, pro symbolo lunae habebatur ac saepe diis sacrificabatur.[2] Taurus autem propter robur et utilitatem imago dei toto oriente late diffusa erat. Quae imago per se ipsa indifferens ab Israelitis, quamquam Ex 20, 4 clare vetiti erant, symbolum Jahvae existimabatur[3], quod erat eorum peccatum.

[1] D. Nielsen, Die altarabische Mondreligion und die mosaische Überlieferung 110—112. M. Hartmann in OLZ, XI, 1908, 173—179. 269—274.

[2] In inscriptionibus autem saepius commemoratur diis praeter alia dona tauros quoque aureos oblatos esse (ut Hal. 62, 1—7. cf. OLZ, IX, 1906, 85 s.).

[3] Loco Ex 32, 4 non de cultu fictorum deorum ab Israelitis exercitato agitur, id quod praeter alios G. Kyle quoque (The Sunday School-Times 1913, 548) cultum fictorum deorum et cultum imaginum confundens dicit; nam v. 5 Aaron per praeconem sollemnitatem Jahvae celebrandam indicit.

In Arabia ad meridiem spectante, ubi serpens, ut cornua tauri, pro symbolo dei lunae habebatur[1], fragmenta serpentium aeneorum ab E. Glaser inventa sunt, qui ad suspendendum destinati erant, id quod capite perforato demonstratur. Eodem serpentem aeneum spectare sunt, qui dicant, quem Moses in deserto, ut qui a serpentibus

* In Ḳorân 53, 19—20 (cf. 37, 149) filiae Allâh nominantur Al-lât (quod nomen ex al-ilahat [= Alilat apud Herod. Hist. 3, 8] ortum est), al-'Uzzâ, Manât.

ignitis morsi erant, si cum fiducia eum aspicerent, sani fierent, fingi et suspendi iussit (Nm 21, 4—9). Inde igitur perspici posse, quam familiaris Israelitis cultus lunae ab antiquis Arabibus exercitatus fuerit. Quod serpentis simulacrum Israelitas postea ut divinum aliquid amplexos esse eique honores tribuisse divinos. Quam superstitionem populi ut funditus tolleret, Hizkija regem serpentem comminuisse eique nomen *neḥuštân* imposuisse (2 Rg 18, 4). Formâ Arabicâ nominis ipsius originem eius signi serpentis significari: *neḥuštân* ex *neḥôšeth* (= aes) et syllaba formativa *ân* compositum esse. At ea derivatio non est verisimilis, sed *neḥuštân* procul dubio ex *nâḥaš* et *ʾâtan* compositum est et „serpentem aeterni" i. e. serpentem aeterno dicatum valet. Nomine Phoenicio summi dei *Ithân* (ut nominibus Baʿal, Melek, Adonai) de antiquo Semitarum monotheismo admonemur. Etiam libri Danielis auctor id nomen respicere videtur, cum deum, qui ad iudicium habendum sedet, „antiquum dierum" appellat (Dn 7, 9. 13. 22).[2]

[1] D. Nielsen, Die altarabische Mondreligion und die mosaische Überlieferung 107 s. — Verisimile est serpentem propterea symbolum dei lunae existimatum esse, quod lunae cursus lineam tortuosam efficit.

[2] Conferas N. Schlögl, Drittes und viertes Buch der Könige (Wien 1911) 293.

5. Neque tamen ex omnibus rebus ad cultum divinum pertinentibus, quae Israelitis cum antiquis Arabibus communes sunt, effici potest Israelitas in religione multa ab Arabibus recepisse. Nam primum quaedam similitudines nominum et actionum sacrarum ex magna cognatione, qua eae gentes earumque linguae inter se continentur, explicari possunt. Deinde eae similitudines partim ad religionem primam, quae apud Israelitas ex providentia divina pura permansit, cum apud Arabes ceterasque gentes variis falsis opinionibus turbaretur, partim ad opiniones ritusque sacros omnium gentium Asiae anterioris communes revocandae sunt. Tum auctoritas inscriptionum in Arabia adhuc inventarum eo vehementer imminuitur, quod plerumque reperiri non potest, quando ortae sint; quare ex iis facile falsa colliguntur. Quod, ut exemplum afferam, in inscriptiones illas Minaeorum cadit, ubi nomina *lawiʾu* et *lawiʾat* inventa sunt. Initio eas duobus milibus annorum a. Ch. n., deinde anno millesimo, postremo sexto saeculo exstitisse dictum est. Quae cum ita sint, complures similitudines cultus ita explicandae sunt, ut non Israelitae formas cultus Minaeorum, sed Minaei formas cultus Israelitarum imitati sint. Atque licet multa instituta cultus Mosaici institutis cultus antiquorum Arabum similia sint, tamen respi-

ciendum est tantummodo res externas et quae parvi sint momenti ab Arabibus assumptas esse assumptisque Moses eam vim dedisse, quae iis in Jahvae cultu inest. Ceterum prorsus eorum opinio repudianda est, qui cultum ab Israelitis ante Mosen vel aetate Mosaica exercitatum „religionem Beduinorum“ appellaverint. Nam Beduinis religio tam parvae curae est, ut de „religione Beduinorum“ omnino sermo esse non possit.[1] Ad hoc Israelitae iam ante Mosen cultu atque humanitate adeo superiores erant, ut iis opus non esset ab istis cultum divinum mutuari. Certe in caterva Beduinorum cultus Mosaicus institui non poterat.[2] Denique Israelitarum et Arabum opiniones et ritus religionis inter se comparanti propterea magna cautione opus est, quod scriptores Muhammedanos, quibus quae de Arabum religione memoriae prodita sunt, maximam partem debemus, haud pauca falso tradidisse verisimile est.

[1] H. Winckler in OLZ, VIII, 1905, 293. H. Guthe, Geschichte des Volkes Israel[3] (Tübingen 1914) 17.

[2] P. Karge, Geschichte des Bundesgedankens in AT, I (Alttestamentliche Abhandlungen II, 1—4. Münster i. W. 1910) 165. 182 s.

Index locorum ex sacris litteris allatorum

Hic tantum ii loci afferuntur, qui plus minusve explicati sunt

Gn 2, 12 12
10, 6 12
7 19. 47. 51 s. 53. 71
10 31
26 70
26—29 19 s.
27 54. 61. 71
28 s. 51. 63
30 20 s.
16, 12 23
25, 1—4 19
2 22
3 34. 47. 51. 54
4 41
6 44
12—16 19
13—15 22
35, 2 101
36, 35 50
Ex 2, 15 43
3, 6 s. 93
14 90
4, 18 76
6, 3 90
16, 15 80
17, 6 76
18, 10 93
11 76
19, 15 101
20, 4 100
30, 1 ss. 100
32, 2—4 104
37, 25 ss. 100
Ex 38, 8 96 s.
Lv 12, 4 101
15, 16 ss. 101
19, 27 74
21, 11 101
23, 24 103
Nm 10, 10 103
12, 1 10. 19
19, 11 s. 101
21, 4—9 105
29, 1 103
33, 42 47
Dt 14, 3 ss. 101
18, 6 96
29, 10 96
Jdc 1, 36 15
6, 1—6 23
3—5 72
10, 12 13. 42. 49
17, 7 96
19, 9 96
1 Sm 2, 22 96 s.
9, 6 101
1 Rg 5, 4 34
10, 1—13 54 s.
15 5
2 Rg 10, 15 s. 92
22 101
18, 4 105
Job 1, 15 53 s. 64. 72
27, 21 18
28, 19 10
Ps 11, 6 18
61, 8 80
Ps 72, 10 52
72, 15 63
120, 5—7 23
Jes 13, 24 18
18, 1 10. 53
21, 17 23
27, 8 18
35, 7 18
43, 3 52
45, 14 53
49, 10 18
60, 6 49 s. 64
66, 19 12
Jer 3, 2 23. 72
10, 9 63
25, 24 7
Ez 25, 13 46
27, 15 47
19 61
38, 13 54
44, 15 s. 96
45, 17 99
Dn 7, 9. 13. 22 105
10, 5 63
Hos 2, 13 99
5, 13 55 s.
10, 6 55 s.
Joel 4, 8 63
Hab 3, 7 10. 19. 49 s.
Zeph 3, 10 53
Esr 2, 50 22. 48
Neh 7, 52 22. 48
1 Chr 1, 8 12
9 19. 47. 51 s.

1 Chr 1, 9 53. 71
20 70
20—23 19
21 54. 61. 71
22 s. 51. 63
29—31 19. 22
32 22. 47. 51
32 s. 19
33 41
46 50
5, 10 21 s.

1 Chr 5, 18—22 21 s.
44, 41 48
2 Chr 9, 1—12 54 s.
14 5
14, 8—14 10 s.
20, 1 48
22 s. 48
21, 16 7. 10
22, 1 72
26, 7 7
7 s. 48

2 Chr 36, 20 32
Sir 48, 7 76
1 Mcc 12, 31 8
Mt 12, 42 56
Lc 11, 31 56
Act 2, 11 9
2 Cor 11, 32 8
Gal 1, 17 8
4, 25 9

Index nominum et rerum

A

Aaron 78
Abessinii 58 s
Abrahamidae 21 s.
Abu-l-Feda' 4. 42
Adummatu 54
Aelius Gallus 58 s. 60 s.
Aethiopum dii 87
Agatharchides 2
Agraei 22
Aja 91
Akiba ben Joseph 3
Aksûm (Axûm) 60. Aksumitarum dii 87
Alilat 89. 104
Allâh 86. 104
'Almâḳu 84 s.
'Amm 85
'Anbaj 86
Animalia Arabiae 17
Apir 63
Apis Aegyptiorum 104
'Arab 6 s. 13. 19
'Arâbâ 7
'Arabân 8
Arabes 5—13.
Arabia 5. 9. 14—18. eius investigatio 24—28
'Arabistân 5
Arae Arabum 100
'Arbâja 8
'Arbijja 8
Ardh madjân 43
Aretas 8 s.
Aribi 54 s.
Arrianus 3
'Asîr 15
'Aššûrîm 34
A'šûr 33
Artemidorus 2
'Athir, 'Athirat 85
'Athtar 84. 86 s. 100
Atramitae 71
'Audum 70
Aurum Ophiriticum 63
Ausân 40. 57. 70
Ausaritae 61
Ausinitis 70
Auzalii 61
Azalla 61
Azania 70
'Aziz-Lât 88. 104

B

Baḥrain 15
Baišat-Jaktan 21
Bajeditae 23 s.
Beduini 8. 14. 23. 106
Bekri 4
Bilḳîs 56. 61

C

Chavila 15
Circumcisio antiquorum Arabum 101
Cultus divinus antiquorum Arabum et Israelitarum inter se comparatur 98—106
Cultus profanus antiquorum Arabum 72

D

Daden 47
Darius Medus 33
Dedân 46 s.

Deorum simulacra 88. 100
Dhû Nu'âs 59
Dialecti antiquorum Arabum 29 s. 35 s.
Dii deaeque antiquorum Arabum 84—89
Dschezîret el-'Arab 5
Dschôf Arabiae meridianae 30. 41. 66.
Arabiae septentrionalis 16. 53
Dûmat el-Dschendel 16. 54

E

Eliezer 78
'El šaddai 90
Eratosthenes 2. 38 s. 40. 60. 66
Eremboi 8

F

Fata morgana 18
Fellâḥ 23
Festa lunae 99. 103
Filii orientis 6
Fluvii Arabiae 17

G

al-Galsad 86
Gaww 54
Gebal 15
Gebban 69
Gebbanitae 61. 70
Ge'ez 19 s.
Gentes Arabiae antiquae 19—24
Geographi Arabici 3 s.
Gerrha 23
Gerrhaei 22
Gersom 78
Gûr-Ba'al 7

H

Ḥadhramôt 70
Ḥadhramotitarum dialectus 29. dii deaeque 84—87. inscriptiones 36. regnum 70—72
Hadoram 71
Ḥadscher 15
Hagar 22
Hagaritae 21 s.
Ḥagir 88
Hamdânî 3
Haranii 101
Ḥarib 69
Harîm 42. 97. 101
Ḥasâ 15
Ḥaṣarmâvet 70
Haubas 84 s. 102
Ḥedschâz 15
Henotheismus 89
Herbae Arabiae 17
Herodotus 2. 89. 104
Hidschr 15
Hidschra 22
Himjaritae 58 s.
Ḥôbâb 75 s. 93
Ḥôl 86
Homeritae 58
Horeb 76 s.

I

'Ibr naharân 33 s.
Idrîsî 4. 42
Ilmuḳah 86.
Inscriptiones antiquorum Arabum 28—38.
Hadad et Panammu 82
„Insula Meroë" 53
Investigatio Arabiae 24—28
Isfôr 21
Ismaelitae 6. 22
Ištar 87
Ithân 105
It'i-amara 56 s. 65
Ituraei 22

J

Jahvae nomen est originis Arabicae 90.
non a Kenitis ad Israelitas translatum 91—93
Jâḳût 4. 42 s. 89
Jamanât 58
Jârêb 25 s.
Jathil 42
Jâvân 63
Jemen 8. 14 s. 16
Jether 76
Jith'i-amara Bajin 57. 59. 61
Jithrô 49 s. 75 s. 91—93

Joktanidae 20 s.
Josephus Flavius 3
Juhabliḥ 54

K

Kabîr 102
Kachtan 21
Ḳainân 88
Kamnâ 42
Kariba-ilu Bajin 57. — Watar 57. 59
Karna 38. 42
Ḳarnâwu 42. 51
Katabania 68
Katabanorum dialectus 29. 35. dii deaeque 84—87. inscriptiones 35 s. regnum 68—70
Katanitae 21
Ḳaṭar 15
Ḳêdâr 6
Kenitae 91—93
Kib-ri nâri 33
Ki-maš 10
Kusch 9 s. Kuschitae 19
Kutal 62. 97

L

Lapides sacri 89. 100
Larimnon 62
Lawi'u (lawi'at) 94. 96. 105
Leges Mosis et Arabum inter se comparatae 101 s. legesne Mosaicae initio Arabice conscriptae sint 78—80
Levitae sexus feminini 96 s.
Lêwî 94—96
Liḥjan 34

M

Ma'ân 40. 42. 48
Ma'ân Muṣrân 42—45. 48. 100
Ma'âze 23
Madâin-Ṣâliḥ 43
Madhaj 32 s.
Madiama 42
Madjân 42 s.
Magan 12 s. 40
Magha'ir Šu'aib 43
Mahra, dialectus 38. terra 71
Mâ'în (Me'în) 40
Mâ'ôn 40. 48 s. 51
Maqueda 56
Maresa 10 s.
Mariaba 60 s.
Mârib (Ma'rib) 61
Mariba 60
Marimatha 69
Marjab 58 s. 60
Marjamat 69
Maš'u 20
Mât A-ri-bi 54 s. — A-ri-bu 8. 54
Medîna 15
Mekka 15
Meluḫḫa 12 s.
Menilek 56
Mercatura Minaeorum 50 s. Sabaeorum 62—64
Meroë 52 s.
Mêšâ 20
Mesene 20
Metalla Arabiae 18
Me'ûnîm 48 s.
Midian 42—46
Midianitae 49 s.
Minaeorum dialectus 29 s. dii deaeque 84—87. inscriptiones 31—35. regnum 40—51. sacerdotium 94—98
Miṣr 33. 44
Modiana 42
Monotheismus antiquissimorum Arabum 80—83
Montes Arabiae 15 s.
Monumentum Ancyranum 60. 64
Mores antiquorum Arabum 72
Mose 78
Muhammed 13
Mukarrib 57. 59
Musnad 29
Muṣri 44 s.

N

Nabajâti 9. 46
Nabataei 8 s. 46
Naga 70
Nagaju 70

Nagia 69
Nakrûḥ 86
Napata 53
Našân 42
Našḳ 42
Nasr 86. 88
Nearchus 62
Nebâjôth 9. 46
Nedschd 15 s.
Nefûd 15 s.
Neḥuštân 105
Nomina antiquissima Arabum 80—82
Nubia 53

O

'Omân 15
Ophir 62 s.
Orotal 73. 89

P

Paeninsula Arabica 5. eius investigatio 24—28
Paeninsulae Sinaiticae investigatio 28
Paeninsula Somali 12. 63
Paišân 54
Periplus maris Erythraei 3
Petra 15. 28. 102
Philostorgius 58. 60
Plinius 2 s. 39
Plutarchus 3
Polytheismus antiquorum Arabum 83—89
Ptolemaeus 3
Pûl 8
Punt 11 s.
Pûṭ 12
Pyramidum textus 11

Q

Quaestio Minaea 64—68

R

Raidân 58 s. 69
Râs Ḥâfûn 12
Rechabitae 92
Regina Saba 54—56. 72
Regnum Minaeorum 40—51. Sabaeorum 51—64. Katabanorum 68—70. Ḥadhramotitarum 70—72
Re'û'êl 75 s. 93
el-Ruba' el-ḫâlî 15. 17
Rumman 88

S

Sa-am-si (Samsê) 8. 54. 56
Sabaeismus 84
Sabaeorum dialectus 29. dii deaeque 84—88. inscriptiones 36 s. regnum 51—64
Sabai 60
Sabota 62. 70 s.
Sabratha 62
Sabtâh 71
Šabwa (Šabwat) 70
Sacerdotium Mosaicum non est imitatio sacerdotii Minaei 94—98
Sachalitae 71
Ṣafathenicae inscriptiones 35
Šahar 85
Salamii 46
Sâmi' 88
Šams 86 s.
Samûm 18
Ṣan'â 16. 61. 63
Sapientia Arabum et Edomitarum 72
Saraceni 6
Ša-su 11
Scriptura antiquorum Arabum 29 s.
Sebâ' 52 s. Šebâ' 51 s. 54
Šeḥri 38
Sela' 15
Semitarum patria et migrationes 40 s.
Sennâar 53
Sephâr 20
Serât 15
Serpens aeneus 105, serpentium aeneorum fragmenta in Arabia inventa 88. 104
Sîn 84 s.
Sinai 16. 76—78. 91 s.
Sinus Arabicus 5
Ṣirwâḥ 57. 59. 61
Soba 53
Soḳoṭra 38
Solitudines Arabiae 16 s.
Stephanus Byzantinus 3
Strabo 2
Symbola deorum 87. 104

T

Tabulae geographicae Arabiae 4 s.
Taijaje 6
Ta'lab 86
Tamna' 69
Taurorum capita in Arabia inventa 88. 104
Taveni 6
Teimâ 31. 47
Tempestas Arabiae 18
Templa Arabum 102
Tempora sacra Arabum 103
Testamentum Salomonis 56
Thamudenicae inscriptiones 34 s.
Thaur-ba'al 88
Thêmâ 47
Thêmân 46 s.
Theophrastus 2. 39. 60
Thomna (Thomala) 69 s.
Thumna 69
Timna' 69
Triades deorum 87
Tubba' 58
Tzafâr 20. 58 s.

U

'Umân 15
Ummu-'Athtar 88
Uphaz 63
Uranius 3
Uz 53 s.
Uzal 61. 63
'Uzzâ 103 s.

V

Valles Arabiae 16
Vedân 63
Victimae Arabum 100

W

Wadd 84 s.
Waraḫ 95

Z

Zabadaei 8 s.
Za-bi-bi-ê (Zabibê) 8. 54. 65
Zerach 10 s.
Zippora 10. 75. 78. 91

Addenda

Ad pag. 9. l. 18. — Alii (ut E. Glaser et G. A. Barton) Nabataeos et Nebâjôth eandem esse gentem negant. Alii rursus (ut G. A. Cooke et T. K. Cheyne) duas illas gentes pro certo aequari non posse existimant.

Ad pag. 9. l. 21. — Videas A. Steinmann, Aretas IV., König der Nabatäer. Eine historisch-exegetische Studie zu 2 Kor 11, 32 f. (BZ, VII, 1909, 174—187. 312—341).

Ad pag. 12. adn. 1. — Cum textus Aegyptii, ut plurimarum linguarum Semiticarum, tantum consonantes, non vocales habeant et pronuntiatio vocabulorum nobis ignota sit, in usum venit, ut in textibus Aegyptiis legendis post unamquamque consonantem vocalis *e* interponatur. Ut exempla afferam *medet* pro *md-t* (verbum), *ichet* pro *ih-t* (res), *merjet* pro *mrj-t* (lacrima) legitur.

Ad pag. 14 ss. — Conferas E. F. K. Rosenmüller, Handbuch der biblischen Altertumskunde III (Leipzig 1828) 1—188. J. G. Wetzstein, Nordarabien und die syrische Wüste nach den Angaben der Eingeborenen (Zeitschrift für allgemeine Erdkunde, 18. Band, Berlin 1865). S. Landersdorfer, Arabien und seine Kultur (Geschichtliche Jugend — und Volksbibliothek 37) Regensburg 1911. G. Wymann Bury, The land of Uz. London 1911 (Auctor Arabiam meridianam falso nomine Uz significat). V. Dingelstedt, Arabia and the Arabs (*G. Scottish*, Magazin XXXII, 1916, 321—330. 366—373). B. Moritz, Arabien. Studien zur physikalischen und historischen Geographie des Landes. Hannover 1923. A. Kammerer, La Transjordanie et l'Arabie Pétrée (La Géographie XXXIV, 1925, 139—154. 302—317. 397—415). O'Leary, de Lacy, Arabia before Muhammad. London 1927.

Ad pag. 19. — B. Landsberger, Über die Völker Vorderasiens im 3. Jahrtausend v. Chr. (ZA, XXXV, 1923, 213—238).

Ad pag. 28. l. 5. — Anno 1922 Amin Ar-Rihâni Arabiam perlustravit: Muluk al-'Arab (= reges Arabum) 2 tom. Beirût 1925.

Ad pag. 28. l. 30. — W. H. Hume, The topography and geology of the peninsula of Sinai. Kairo 1906. J. Ball, The geography and geology of West-Central Sinai. Cairo 1916.

Ad pag. 38 ss. — Caussin de Perceval, Essai sur l'histoire des Arabes avant l'islamisme. 3. vols. Paris 1847—48. C. Huart, Geschichte der Araber. Übersetzt von *S. Beck* und *M. Färber*. Leipzig 1917. F. Hommel, Geschichte Arabiens im Umriß (in *D. Nielsen*, Handbuch I, 57—108).

Ad pag. 41. l. 15. — A. Ungnad, Die ältesten Völkerwanderungen Vorderasiens. Breslau 1923.

Ad pag. 55. — Quamquam regina Saba Jahven praedicat, tamen eum deum non profitetur, sed tantum Salomonis deum agnoscit: „Sit Jahve, *deus tuus*, laudatus

(omni laude dignus est), qui complacuit in te (qui te favore complexus est), ut poneret te super thronum Israel, — ut esses rex Jahvae, *dei tui*" (1 Rg 10, 9; 2 Chr 9, 8). Ex quibus verbis nonnulli concludendum esse existimaverunt reginam Saba ad veri dei cultum animum convertisse. At qui Jahven deum Israelitarum agnoscunt, iidem tamen opinionem et cultum deorum falsorum amplecti possunt. Reginam autem ad verum deum conversam esse ob id ipsum cogitare non oportet, quod memoriae nihil traditur eam in templo Jahvae sacra fecisse.

Ad pag. 78. l. 7. — D. Nielsen, The site of the biblical mount Sinai. A claim for Petra. Paris 1928.

Ad pag. 91. l. 15. — Cum deus revelationes suas cum iis, quae iam exstant, coniungere soleat, ex mea opinione iudicare licet revelationem quoque nominis Jahvae naturam unius dei accuratius significantis cum iis, quae apud Israelitas iam exstabant, cohaesisse.

Pag. 17. l. 34 legendum est: segetum. — Spero benevolum lectorem errores levioris momenti fortasse passim obvios, qui me fugerunt, ipsum facile correcturum.

Alia eiusdem auctoris opera

De polytheismo universo et quibusdam eius formis apud Hebraeos finitimasque gentes usitatis. XXI et 341 pag. Tres tabulae geographicae additae sunt. Oeniponte, 1908, Wagner.

De Hebraeorum ante exsilium Babylonium monotheismo. XXIX et 191 pag. Oeniponte, 1910, Wagner.

De polytheismi origine quae sit doctrina sacrarum litterarum patrumque ecclesiae. IX et 149 pag. Oeniponte, 1911, Vereinsbuchhandlung.

De diis gentilium quid sacrae litterae veteris testamenti iudicent. XI et 198 pag. Oeniponte, 1912, Vereinsbuchhandlung.

Archaeologia biblica. XVIII et 824 pag. Viginti tres imagines additae sunt. Oeniponte, 1917, Wagner.

Hermeneutica biblica. IV et 158 pag, Oeniponte, 1923, Rauch; Ratisbonae et Neo Eboraci, Pustet.

Quaestiones de vetere testamento et comparativa religionum historia recentiore aetate propositae. XV et 95 pag. Tongerloae (Belgium) 1925.

Formae cultus Mosaici cum ceteris religionibus orientis antiqui comparatae. XII et 232 pag. Tongerloae (Belgium) 1927.

Commentationes biblicae. I. *De religione populari Israelitarum.* 62 pag. Oeniponte, 1927, Rauch. II. *De Judaeorum in Elephantine-Syene colonia eiusque rationibus cum vetere testamento intercedentibus.* 59 pag. Oeniponte, 1927, Rauch. IV. *De Sumeriis eorumque cum vetere testamento rationibus.* Sub prelo est,

Israelitarum in Aegypto commoratio ex sacris litteris illustrata. Sub prelo est.

Babyloniorum auctoritas quantum apud antiquos Israelitas valuerit